MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80408-3

AUTHOR:

HAAR ROMENY, H. M. B.

TITLE:

DE AUCTORE TRAGOEDIARUM...

PLACE:

DOTECOMIAE

DATE:

1887

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

De auctore tragoediarum
sub Senecae nomine.

DE AUCTORE TRAGOEDIARUM, QUAE SUB SENECAE NOMINE FERUNTUR, VERGILII IMITATORE.

DE AUCTORE TRAGOEDIARUM, QUAE SUB SENECAE NOMINE FERUNTUR, VERGILII IMITATORE.

SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

S. S. ROSENSTEIN,

Med. Chir. et Art. Obst. Doct. et in Facultate Med. Prof. Ord.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS, FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

HENDRIK MARCELIS BERNARD TER HAAR ROMENY,

HARLEMENSIS.

DIE XII M. NOVEMBRIS A. MDCCCLXXXVII, HORA III.

DOTECOMIAE,

APUD FRATRES MISSET.

MDCCCLXXXVII.

UXORI CONIUNCTISSIMAE.

PRAEFATIO.

Vergilii carmina quam magni momenti fuerint in lingua literisque Latinis moderandis a multis doctis viris saepe demonstratum est. Poetis, epicis in primis et bucolicis, Vergiliana opera uberrimum fontem fuisse, ex quo imagines et locutiones perpetuo haurirent, iamdudum inter omnes constat. Praeter poetas autem, qui ad Vergilii exemplum de industria componerent, permultos tam vinctae quam solutae orationis scriptores aetate q. d. imperatoria extitisse, qui verba et locutiones ex Vergilii thesauris depromerent, multorum doctis investigationibus et disputationibus comprobatum est. Quicumque igitur ex poetis Propertium, Ovidium, Martialem, Statium, ex prosae orationis scriptoribus Velleium, Senecam philosophum, Plinium Minorem, Tacitum — ut hos solos exempli gratia nominem — paulo accuratiore studio legerit, „disiecti membra poetae" nullo negotio inveniet. Hos tamen non dedita opera Vergilii sermonem imitatos esse, sed ultro potius et fortuito tam verba eius, quam verborum stucturas recepisse facile intelleget, opinor, qui reputaverit quam magnum locum iam ab Augusti temporibus tam in ludis grammaticorum, quam in rhetorum scholis Vergilianorum carminum obtineret lectio. Ex quo enim Q. Caecilius ille Epirota primus antiquioribus poetis Livio, Naevio, Ennio posthabitis et neglectis Vergilium aliosque recentiores discipulis suis praelegere coeperat, sensim usu et moribus receptum est, ut horum carmina, puerorum mentibus inculcata, quasi pro fundamento haberentur, quo grammaticorum institutio fere

tota niteretur. Reliquos autem omnes novos poetas Vergilius tantopere auctoritate anteibat, quanto et operis praecipui argumento et poeticae facultatis splendore Romanorum animis gratior illis acceptiorque erat. Quum igitur prae ceteris Vergilii carmina ediscerent discipuli ac memoriter recitarent, tum ad eiusdem praesertim verba et structuras, memoria recepta, grammaticae leges et praecepta referre solebant. Pueri autem Vergilii assidua lectione exercitati, simulatque in rhetorum scholas transierunt, nova disciplina ita vulgo instituebantur, ut ex iisdem carminibus, quae mentibus dudum inhaererent, exempla a professoribus peterentur ad rhetoricae artis praecepta illustranda. Sic iuxta Homerum, Vergilius praecipuus fons erat, ex quo tam rhetoricae sententiae et figurae, quam argumenta declamationibus apta hauriebantur.

Quae quum ita essent, fieri non potuit, quin quivis fere homo Romanus, priorum sane Caesarum aequalis, qui omnibus doctrinis eruditus esset, quibus puerilis aetas impertiri soleret, quum ipse ad scribendum animum appulisset, Vergiliana verba, locutiones, sententias quasi sua sponte sermoni suo insereret.

Ut autem supra verbo monui, docti viri haud pauci iam id egerunt ut apud varios argenteae Latinitatis scriptores Vergiliani sermonis imitationem vel voluntate et iudicio vel fortuito et temere factam investigarent ostenderentque. Quorum exemplum secutus, eiusdem imitationis vestigia indagare et indicare mihi proposui in Tragoediis obvia, quae Senecae vulgo auctori ascribuntur. Quae inquisitio quum ad Tragoediarum illarum naturam recte aestimandam haud inutilis putanda sit, tum aliquantulum certe conferre potest ad vim et auctoritatem intellegenda, quae apud imperatoriae aetatis scriptores Vergilii exemplum habuisse constat.

Tragoediarum illarum auctorem — sive is Seneca fuerit, sive quis alius — Vergilii lectione non mediocriter imbutum

fuisse, iam inde colligi potest, quod, ut V. D. Leo [1]) multis argumentis ostendit, quavis fere pagina manifesta prae se fert indicia, quam totus a legibus et praeceptis pendeat, quae in rhetorum scholis traderentur.

Priusquam autem ad rem propositam aggredior, monendum puto, nonnulla vestigia in tragoediis extare mihi videri, ex quibus iure quodam efficias illarum auctorem Vergilii exemplum non tam anxie secutum esse, ut non et alios poetas interdum sit imitatus. Sic indicia se mihi offerebant, quae ostendunt vetustiores tragicos in materie tractanda ordinandaque saepius ei exemplo fuisse. Nonnullos porro locos invenisse mihi videor, ubi Ovidianum dicendi genus eum imitando expressisse haud inepte statui potest.

Fusius igitur et copiosius quum sim de sermonis Vergiliani imitatione disputaturus, cuius vestigia in Tragoediis deprehenduntur, aliquot locos praemittam, qui antiquos Tragicos imitandi studium prae se ferre videntur, quibus deinceps alios subiungam, ubi Ovidium pro exemplo fuisse conicio.

Agam. 421 sq. Eurybates narrans quomodo Graeci Troia profecti altum petiverint, deinde naufragium fecerint, ita incipit:

Ut Pergamum omne Dorica cecidit face,
divisa praeda est, maria properantes petunt.

Livius Andronicus in Aegistho, cuius idem est argumentum, habet fragm. I (5), pag. 1 Ribb.:

Nam ut Pergama
accensa et praeda per participes.....
partita est.......

paulo infra, Agam. 449 sqq. legimus:

tunc qui iacente reciprocus ludit salo
tumidumque pando transilit dorso mare
Tyrrhenus omni piscis exultat freto

[1]) Leo, de Sen. trag. obs. crit. p. 148—158.

agitatque gyros et comes lateri adnatat
anteire naves laetus et rursus sequi;
nunc prima tangens rostra lascivit chorus
millesimam nunc ambit et lustrat ratem;

quibuscum conferatur fragmentum II (3) eiusdem Livianae tragoediae p. 1 Ribb., quod ex eadem descriptione petitum videtur·

Tum autem lascivum Nerei simum pecus
ludens ad cantum classem lustratur

Sic quoque ex Attii Atreo plurima cum Senecae Thyeste conveniunt.

Illius tragoediae enim fragmento III (13), p. 136 Ribb., Atreus haec dicit:

Iterum Thyestes Atreum adtrectatum advenit,
iterum iam adgreditur me et quietum suscitat:
maior mihi moles, maius miscendumst malum
quo illius acerbum cor contundam et comprimam.

idem color est Atrei exclamationis, Thyest. vs. 192 sqq.

age, anime, fac quod nulla posteritas probet
sed nulla taceat, aliquod audendum est nefas
atrox, cruentum, tale quod frater meus,
suum esse mallet: scelera non ulcisceris
nisi vincis.

Sententiam fragmenti V (9), p. 136 Ribb., eiusdem tragoediae „oderint dum metuant" invenies in Atrei cum satellite colloquio, Thyest. 205 sqq.

Maximum hoc regni bonum est,
quod facta domini cogitur populus sui
tam ferre quam laudare, sqq.

Vs. 222 sqq. sequitur in Thyeste scelerum enumeratio, quae Thyestes commisit:

coniugem stupro abstulit
regnumque furto: specimen antiquum imperi

fraude est adeptus, fraude turbavit domum.
Est Pelopis altis nobile in stabulis pecus,
arcanus aries, ductor opulenti gregis;
huius per omne corpus effuso coma
dependet auro — — — — — — — — — —
— — — — — — — — — — — — — —
234 hunc facinus ingens ausus, assumpta in scelus
consorte nostri perfidus thalami avehit.

In Attii Atrei fragmento VI, p. 137 Ribb., est

Qui non sat habuit coniugem illexe in stuprum.

fragm. VIII (19) p. 137 Ribb.,

adde huc, quod mihi portento caelestum pater
prodigium misit, regni stabilimen mei,
agnum inter pecudes aurea clarum coma
quondam Thyestem clepere esse ausum e regia,
qua in re adiutricem coniugem cepit sibi.

fragmento, quod sequitur apud Ribb., Thyestes dicit:

vigilandum est semper; multae insidiae sunt bonis
sed quod multi inrideant multique expetant, inscitia est
postulare, nisi laborem summa cum cura ecferas;

quam sententiam habes Thyest. 446 sq., ubi idem Thyestes:

mihi crede, falsis magna nominibus placent,
frustra timentur dura.

Denique Atrei fragmentum XII (2) p. 138 Ribb., idem habet quod Thyest. vs. 763—69.

Concoquit
partem vapore flammae, tribuit veribus
lacerta . . . . in focos.

Thyest. 765 sqq.

haec veribus haerent viscera et lentis data
stillant caminis, illa flammatus latex
candente aeno iactat.

Cum Ennii Medeae fragmento X (12) p. 40 Ribb.

Quo nunc me vortam? quod iter incipiam?
domum paternamne anne ad Peliae filias?

conferantur Medeae vs. 451—457.

At quo remittis? Phasin et Colchos petam
patriumque regnum quaeque fraternus cruor
perfudit arva? quas peti terras iubes?
quae maria monstras? Pontici fauces freti
per quas revexi nobilem regum manum
adulterum secuta per Symplegadas?
parvamne Iolcon, Thessala an Tempe petam?

Sed satis de veteribus tragicis dixisse mihi videor. Dabo iam locos nonnullos qui Ovidianae imitationis indicia ostendunt. Qua in re quum verear ne longus sim, verba et circumlocutiones non attingam, sed res modo indicabo, in quibus enarrandis Ovidium secutus esse videtur poeta tragicus.

Metam. XIII. 415 sqq. describitur turris de qua praecipitatur Astyanax:

Mittitur Astyanax illis de turribus, unde
pugnantem pro se proavitaque regna tuentem
saepe videre patrem monstratum a matre solebat.

Simile quid invenies de eadem turri dictum Troad. 1081 sqq. ubi tamen *avus*, non *mater*, *monstrat* patrem:

turri in hac blando sinu
fovens nepotem, quum metu versos gravi
Danaos fugaret Hector et ferro et face
Paterna puero bella monstrabat senex.

Paulo infra, vs. 520 sqq. Hecuba apud Ovidium exclamat:

quis posse putaret
felicem Priamum post diruta Pergama dici?
felix morte sua est: nec te, mea nata, peremptam
aspicit, et vitam pariter regnumque reliquit.

Idem color est verborum, quae canit chorus Troad. 156 sqq.

Felix Priamus,
dicimus omnes: secum excedens
sua regna tulit.

Troad. 956 sqq. Hecuba exclamat:

Adhuc Achilles vivit in poenas Phrygum?
adhuc rebellat? O manum Paridis levem!
Cinis ipse nostrum sanguinem ac tumulus sitit.
Modo turba felix latera cingebat mea,
— — — — — — — — — — — — — — —
— — — — — — sola nunc haec est super.

quibuscum conferantur Metam. XIII. 501 sqq. ubi eadem querela legitur:

..... Postquam cecidit Paridis Phoebique sagittis
nunc certe, dixi, non est metuendus Achilles.
Nunc quoque mi metuendus erat: cinis ipse sepulti
in genus hoc saevit, tumulo quoque sensimus hostem:
Aeacidae fecunda fui.

Medeae vs. 501—504 Medea Iasoni haec obicit:

Tua illa, tua sunt illa: cui prodest scelus
is fecit: omnes coniugem infamen arguant:
solus tuere, solus insontem voca.
Tibi innocens sit, quisquis est pro te nocens.

Eadem habet Ovidius in Medeae epistola vs. 131 sq.

Ut culpent alii, tibi me laudare necesse est,
pro quo sum totiens esse coacta nocens.

Phaedrae vs. 1088 sqq. Hippolyti equi cum Phaëtontis conferuntur:

Sensere pecudes facinus et curru levi,
Dominante nullo, qua timor iussit, ruunt.
Talis per auras, non suum agnoscens onus,

Solique falso creditum indignans diem
Phaëtonta currus devio excussit polo.

Cui in mentem non venit Ovidii locus de Phaëtonte, Metam. II. 161 sq.

Sed leve pondus erat, nec quod cognoscere possent
Solis equi.

Phaedr. 381 sqq. extat imago a nive petita:

Lacrimae cadunt per ora, et assiduo genae
rore irrigantur, qualiter Tauri iugis
tepido madescunt imbre percussae nives;

eodem modo apud Ovidium lacrimae cum nive conferuntur, Am. I. 727 sq. enim legitur:

Suspensaeque diu lacrimae fluxere per ora,
qualiter abiecta de nive manat aqua.

Herc. fur. 105 sq. aliam videmus imaginem in qua adhibenda Ovidium secutus esse videtur poeta; ibi enim Iuno Furias alloquitur et hortatur Herculem ut pessumdent:

acrior mentem excoquat
quam qui caminis ignis Aetnaeis furit.

Ovidius autem habet Metam. XIII. 867 sqq.

Uror enim, laesusque exaestuat acrior ignis
Cumque suis videor translatam viribus Aetnam
pectore ferre meo,

et Heroid. XV. 12.

Me calor Aetnaeo non minor igne tenet.

Denique conferamus locum de Maeandro, Herc. fur. 683 sqq.

Qualis incerta vagus
Maeander unda ludit, et cedit sibi
instatque dubius, litus an fontem petat,

cum Metam. VIII. 162 sqq.

Non secus ac liquidus Phrygiis Maeandrus in arvis

ludit et ambiguo lapsu refluitque fluitque,
occurrensque sibi venturas aspicit undas
et nunc ad fontes, nunc in mare versus apertum
incertas exercet aquas.

Hoc quoque loco poetam tragicum Ovidium imitando expressisse certe non multis verbis opus est ut demonstrem, quum et res ipsa et verba imitationem arguant. Sed et hanc locorum seriem claudamus, quibus alii multi addi facile possint et transeamus ad huius opusculi argumentum i. e. ad inquisitionem in Vergilianae imitationis indicia quae extant in tragoediis. Ut autem similitudo, siqua erit inter poetae tragici Vergiliique opera magis elucescat, huius opusculi materiam dividam in partes quatuor. Quarum prima res tractabo, quibus in enarrandis poeta ad Vergilium se composuit, secunda imagines et, quae dicuntur, metaphoras, quas ex illius operibus sumpsit, tertia locos et verba quae certa imitationis indicia praebent, quarta denique eos locos, in quibus conscribendis poeta fere eadem locutione qua Vergilius usus est.

I.

Quanti fecerit poeta tragicus Vergilium quamque studiose eius carmina lectitaverit lucidissime apparet in Troadibus et Agamemnone, quibus tragoediis pariter atque Aeneidos libro secundo res Troianae tractantur. Hanc ob causam non uno loco eaedem res, eisdem saepe verbis narratae, luculenta imitationis indicia praebent. Initium igitur faciam a Troad. 44 sqq., ubi Hecuba narrat caedem Priami a Pyrrho commissam:

> Vidi execrandum regiae caedis nefas
> Ipsasque ad aras maius admissum scelus
> Aeacis armis, cum ferox, scaeva manu
> Coma reflectens regium torta caput,
> Alto nefandum vulneri ferrum abdidit.

Nemo non videt poetam tragicum hic expressisse Vergilii descriptionem eiusdem rei Aen. II. 550. sqq.

> *Hoc dicens altaria ad ipsa trementem*
> *traxit et in multo lapsantem sanguine nati,*
> *implicuitque comam laeva dextraque coruscum*
> *extulit ac lateri capulo tenus abdidit ensem.*

Ad versus tamen qui sequuntur:

> Quod penitus actum quum recepisset libens
> Ensis senili siccus e iugulo redit,

Leo [1]) annotat: „isto loco aperte Ovidii sensum exprimit: „nihil enim ea de re Vergilius in mortis Priami descriptione „sed Ovidius habet Metam, XIII. 409.

> *„exiguumque senis Priami Iovis ara cruorem*
> *„conbiberat".*

Plura autem non habet hac de re, quam his verbis modo attingit ut ad alia enarranda transeat. Loci tamen tragoediae usque ad vs. 47 et Aeneidos usque ad vs. 552 singulis in rebus inter se consentiunt; eandem imaginem nobis ponunt ante oculos. Utroque loco videmus Priamum humi prostratum, a Pyrrho laeva manu correptum. Tum poeta tragicus ita pergit:

> Alto nefandum vulneri *ferrum abdidit*

Vergilius:

> *Lateri capulo tenus abdidit ensem.*

Quod attinet ad verba Ovidii ll.

> *exiguumque senis Priami Iovis ara cruorem*
> *conbiberat,*

quum Lucanus Phars: II. 128 sq. habeat:

> *parvum sed fessa senectus*
> *sanguinis effudit iugulo flammisque pepercit,*

et Propert. IV. 16. 19.

> *sanguine tam parvo quis enim spargetur amantis*

miror quod vir doctissimus ob illud „exiguum cruorem" putat poetam tragicum hoc loco ex Metamorphoseon libris hausisse.

Troad. 439—460. Hectoris umbra Andromachae apparet eamque admonet ut filium suum e manibus Pyrrhi eripiat. Plane poeta tragicus imitatur Aeneidos locum ubi Hectoris umbra Aeneae apparet et Penates servare eum iubet (Aen. II. 268—297). Utroque loco primum tempus indicatur:

[1]) Leo, de Senecae trag. obs. crit. p. 156.

Vs. 439 sqq.

Partes fere nox alma transierat duas
clarumque septem verterant stellae iugum;
ignota tandem venit afflictae quies
brevisque fessis somnus obrepsit genis
si somnus ille est mentis attonitae stupor

et Aen. II. 268.

Tempus erat, quo prima quies mortalibus aegris
incipit et dono divum gratissima serpit.

ut Vergilius utitur verbo *serpere*, ita poeta tragicus dicit *somnum obrepere genis.*

Tum apud utrumque *subito* Hectoris umbra *ante oculos adest*: Troad. 443.

cum subito nostras Hector *ante oculos* stetit,

Aen. II. 270.

In somnis ecce ante oculos moestissimus Hector
visus adesse mihi.

Non tamen conspicitur ingens ille bellator, hostium terror, qui Patroclum vicerat, sed Hector vulneratus et tractus circum castra bigis Achillis:

Troad. 444 sqq.

Non qualis ultro bella in Argivos ferens
Graias petebat facibus Idaeis rates
nec caede multa qualis in Danaos furens
vera ex Achille spolia simulato tulit.

Aen. II. 273 sqq.

Hei mihi, qualis erat, quantum mutatus ab illo
Hectore, qui redit exuvias indutus Achilli
vel Danaum Phrygias iaculatus puppibus ignes.

(Vergilii locus quoque in Agamemnone expressus esse videtur ubi Cassandra de Hectore, vs. 793 sqq.

Frater, auxilium Phrygum
Terrorque Danaum, non ego antiquum decus

Video aut calentes ratibus exustis manus,
sed lacera membra et saucios vinclo gravi
illos lacertos.)

Tum Troad. 449 sqq.

Non ille vultus flammeum intendens iubar
sed fessus ac deiectus et fletu gravis
similisque moesto [1]) squalida obtectus coma

conferatur cum Aen. II. 270 sq.

In somnis, ecce, ante oculos moestissimus Hector
visus adesse mihi largosque effundere fletus;

et 277 sqq.

Squalentem barbam et concretas sanguine crines
vulneraque illa gerens, quae circum plurima
muros accipit patrios;

denique vs. 460:

fallax per ipsos umbra amplexus abit,

cum altero loco secundi Aeneidos libri, ubi Creusae umbra Aeneam est allocuta, vs. 793 sq.

Ter conatus ibi collo dare brachia circum,
ter frustra comprensa manus effugit imago.

Agam. 626–643. Chorus loquitur de equo ligneo in urbem Troiam inducto; ad quem locum conscribendum poeta tragicus excitatus esse videtur a Vergilio, qui Aen. II. 234–245. eandem rem tractat:

---

[1]) Sic cum Peipero et Richtero scribo collato loco Aeneidos. LL. MSS. habent *nostro*. Leo Peiperi et Richteri emendatione reiecta veterem lectionem recipit. Attamen si *vultus* nominativus est, non dativus, satis nude positum videtur ob versus qui praecedunt, ubi de Hectore ipso loquitur Andromache. *Hector similis moesto* formam dicendi esse non a latinitate alienam probatur Vergil. Aen. VII. 502. ubi cervus dicitur „similis imploranti", Ovidii Metam. XIII. 442:

exit humo late rupta *similisque minanti*
temporis illius vultum referebat Achilles.

et Metam. XI. 734. ubi haec ipsa verba invenies:

dumque volat, *moesto similem* plenumque querellae
ora dedere sonum tenui crepitantia rostro.

Vidimus simulata dona
molis immensae Danaumque
fatale munus duximus nostra
creduli dextra, tremuitque saepe
limine in primo sonipes.

Aen. II. 237:

Scandit fatalis machina muros
feta armis

— — — — — — — — — — — — — — — —

Ibid. 242 sqq. *quater ipso in limine portae*
substitit, atque utero sonitum quater arma dedere;
instamus tamen immemores caecique furore.

ut poeta tragicus de *fatali munere,* ita Vergilius loquitur de *fatali machina; tremuitque saepe limine in primo* idem est quod Vergilius habet vs. 242.

Verba *simulata dona molis immensae* conferantur cum Aen. II. 185, ubi de equo ligneo haec leguntur:

Hanc tamen immensam Calchas attollere molem
iussit.

Denique animum attendas ad Agam. vs. 638 sq., ubi pueri et puellae gaudent „funem quod contingunt" quum ipsi quoque equum in urbem inducere videantur.

Secura metus Troica pubes
Sacros gaudet tangere funes,

eadem habes Aen. II. 248 sq.

pueri circum innuptaeque puellae
sacra canunt, funemque manu contingere gaudent.

Troad. 124 sqq. de Hectore leguntur:

Columen patriae, mora fatorum;
tu praesidium Phrygibus fessis,
tu murus eras, humerisque tuis
stetit illa decem fulta per annos

Solius Hectoris opera Troia defensa est Aen. IX. 155,
(Danai), *decimum quos distulit Hector in annum.*

Aen. XI. 290 hoc Aeneae quoque tribuitur:

Hectoris Aeneaeque manu victoria Graium
haesit et in decimum vestigia rettulit annum.

Ita Ovid. Metam. XIII. 665.

Non hic Aeneas non . . . .
Hector erat, per quos decimum durastis in annum.

Agam. 466 sqq. procella describitur qua in re multa insunt quae docent poetae tragico Vergilii eandem descriptionem [1]) ante oculos fuisse vs. 474—484. Venti enumerantur ut Aen. I. 82—86; luna conditur: „inferna nox est" vs. 471—473, 492, ut Aen. vs. 88, 89; tonat et fulminat vs. 495, Aen. vs. 90; naves fluctibus vexantur vs. 497—506, Aen. vs. 102—123. Magna ex parte haec similitudo potest esse fortuita, quod hoc loco rem pingunt poetae, non fingunt. In fine tamen descriptionis procellae Eurybates dicit (Agam. 512 sqq.):

Quid fata possunt! Invidet Pyrrhus patri,
Aiaci Ulixes, Hectori Atrides minor,
Agamemno Priamo: quidquid ad Troiam iacet
felix vocatur, cadere qui meruit gradu,
quem fama servat, victa quem tellus tegit,

quibus verbis expressisse videtur poeta, Aen. I. 94 sqq., ubi, naufragium faciens, Aeneas exclamat:

O terque quaterque beati,
quis ante ora patrum Troiae sub moenibus altis
contigit oppetere! O, Danaum fortissime gentis,
Tydide! mene Iliacis occumbere campis
non potuisse tuaque animam hanc effundere dextra?
saevus ubi Aeacidae telo iacet Hector, ubi ingens

[1]) Aen. I. 82 sqq.

Sarpedon, ubi tot Simois correpta sub undis
scuta virum galeasque et fortia corpora volvit.

Agam. 710 sqq. Cassandra depingitur vaticinia editura. Magna ex parte hic locus similis est Aen. VI. 48 sqq., ubi Sibylla afflatur „numine Phoebi."

710. et pallor genas
creberque totum possidet tremor corpus,

Cf. Aen. VI. 45.

Ventum erat ad limen, quum Virgo: „poscere fata
tempus," ait „deus, ecce deus" [1]) *cui talia fanti*
ante fores subito non vultus, non color unus.

712. Stetere vittae, mollis inhorrescit coma.

Cf. Aen. VI. 48

Non comptae mansere comae [2]).

(Ita Oed. 230
Incipit Letoa vates spargere horrentes comas.)

713. anhela corda murmure incluso fremunt.

Cf. Aen. VI. 48

sed pectus anhelum
et . . . . fera corda tument.

716. Nunc levat in auras altior solito caput
graditurque celsa.

Cf. Aen. VI. 49

maiorque videri,
nec mortale sonans,

quibuscum confert Gosravius Oed. 232, ubi de Pythia
emicat vasto fragore maior humano sonus.

719. maenas impatiens dei.

Cf. Aen. VI. 77

At ***Phoebi nondum patiens*** *immanis in antro*
bacchatur vates.

[1]) Imitatur Val. Fl. I. 208, sqq.
[2]) Cf. Ovid. Metam. XV. 677; XIV. 107, sqq.

Cum his conferatur Oed. 231.
incipit pati commota Phoebum.

720. quid me furoris incitam stimulis novi
— — — — — — — — — — — — — —
rapitis?

Cf. Aen. VI. 100.

ea frena furenti
concutit et stimulos sub pectore vertit Apollo.

Herc. fur. 30 sqq. Lamentationes Iunonis.

Quae bella! quidquid horridum tellus creat
inimica, quidquid pontus aut aer tulit
terribile, dirum, pestilens, atrox, ferum,
fractum atque domitum est.

Ita quoque Aen. VII. 297 sqq. dea queritur a se omnes vires maris et coeli adhibitas esse, sed nihil sibi profuisse:

at, credo, mea numina tandem
fessa iacent, odiis aut exsaturata quievi —
quin etiam patria excussos infesta per undas
ausa sequi, et profugis toto me opponere ponto.
Absumptae in Teucros vires caelique marisque.

Loci Herculis furentis et Aeneidos libri VI, quibus Herculis et Aeneae descensus ad inferos describuntur, multa habent, quae facile evincunt poetam tragicum hic Vergilium imitatum esse:

Herc. fur. 658 sqq.

fas omne mundi teque dominantem precor
regno capaci teque, quam amotam inrita
quaesivit Enna mater, ut iura abdita
et operta terris liceat impune loqui.

Eodem modo deos precari et invocare incipit Vergilius Aeneae ad inferos descensum narraturus; Aen. VI. 264 sqq. enim legimus:

Di, quibus imperium est animorum, Umbraeque silentes,
et Chaos, et Phlegeton, loca nocte tacentia late,
sit mihi fas audita loqui, sit numine vestro
pandere res alta terra et caligine mersas.

Sequentia multis in rebus similia sunt Vergilii narrationi: initium itineris ducit per lucem dubiam et caliginem (Herc. fur. 668, Aen. VI. 270.) Ad haec tamen exprimenda diversis imaginibus utuntur poetae.

Tum poeta tragicus pergit 675 sqq.

nec ire labor est; ipsa deducit via
— — — — — — — — — — — — — — —
gradumque retro flectere haud umquam
sinunt umbrae tenaces,

quibuscum conferatur Aen. VI. 128 sqq.

facilis descensus Averno —
noctes atque dies patet atri ianua Ditis —
sed revocare gradum superasque evadere ad auras,
hoc opus, hic labor est [1]).

Tum Lethes flumen depingitur ut apud Vergilium Aen. VI. 437 sqq., Georg IV. 480 sqq. et Cocythi palus locis iisdem, quam descriptionem sequuntur res, quae mortem afferre solent. Has uterque poeta in Orci faucibus ponit:

Herc. fur. 689 sqq.

horrent opaca fronde nigrantes comae,

[1]) Heyne ad hos versus annotat: »sententiam interpretatur Seneca, Herc. fur. 675 sqq."

taxum imminentem qua tenet segnis Sopor
Famesque moesta tabido rictu iacet
Pudorque serus conscios vultus tegit.
Metus Pavorque furvus et frendens Dolor
aterque Luctus sequitur et Morbus tremens
et cincta ferro Bella: in extremo abdita
iners Senectus adiuvat baculo gradum.

Aen VI. 273—284. [1])

vestibulum ante ipsum primisque in faucibus Orci
Luctus et ultrices posuere cubilia Curae
pallentesque habitant Morbi, tristisque Senectus
et Metus, et malesuada Fames, ac turpis Egestas,
e. q. s.,

quocum loco etiam conferatur Oed. 590 sqq., ubi a sacerdote excitatur „sacra Orci cohors".

Quod attinet ad vs. 689 sq. conferatur Aen. VI. 282 sqq., ubi de arbore, in qua sedent somnia:

in medio ramos annosaque brachia pandit
ulmus opaca, ingens, quam sedem somnia vulgo
vana tenere ferunt, foliisque sub omnibus haerent.

Sexaginta versibus interiectis, quibus Elysium et famosissima apud inferos supplicia, Ixionis, Sisyphi, Tantali, de quibus saepius fit in carminibus mentio, describuntur, sequitur locus de Charonte, qui totus ex Vergilio expressus videtur. Et res et verba magnam habent similitudinem cum Aen. VI. 298 sqq.; vs. 764 enim legimus:

[1]) Ad hunc locum Servius annotat: Imitatores iam excitavit Cerda: Sil. XIII. 579 sqq., Sen. Herc. fur. 689 sqq., Claud. in Ruf. I. 29.

hunc *servat* amnem cultu et aspectu *horridus*,
pavidasque manes *squalidus* vectat senex.
Impexa pendet barba, deformen sinum
nodus coercet, concavae *squalent* genae;
regit ipse longo portitor *conto ratem*.

Aen. VI. 298 sqq.

portitor has horrendus aquas et flumina servat
terribili squalore Charon, cui plurima mento
canities inculta iacet, stant lumina flamma,
sordidus ex humeris nodo dependet amictus.
Ipse ratem conto subigit velisque ministrat,
et ferruginea subvectat corpora cymba
iam senior, sed cruda deo viridisque senectus.

Cruda senectus etiam Oed. 167 sqq. Charonti tribuitur, ubi locum Vergilii poetae tragico obversatum esse patet:

quique capaci turbida cymba
flumina servat durus *senio*
navita *crudo*.

Versus 772, qui sequitur:

quo pergis audax: siste properantem gradum,

non multum differt ab Aen. VI. 388 sq., ubi eadem est sententia in Charontis exclamatione:

quisquis es armatus, qui nostra ad flumina tendis,
fare, age, quid venias: iam istinc et comprime gressus.

Coactus tamen Charon et Herculem et Aeneam Stygem transvehit, qua re descripta poeta tragicus dicit vs. 755

cymba populorum capax
succubuit uni,

quod etiam apud Vergilium invenitur ll. vs. 413

gemuit sub pondere cymba [1].

Conspecto Hercule trepidare finguntur umbrae monstrorum, quae in terris debellaverat 778—781,

tunc victa trepidant monstra, Centauri truces
Lapithaeque multo in bella succensi mero,
Stygiae paludis ultimos quaerens sinus
fecunda mergit capita Lernaeus labor.

Sic quoque Vergilius scripsit Aen. VI. 489 sqq.

at Danaum proceres Agamemnoniaeque phalanges,
ut videre virum fulgentiaque arma per umbras,
ingenti trepidare metu.

Sequitur locus de Cerbero, ad quem videtur annotandum utrumque poetam locutum esse de *solio Ditis:*

Herc. fur. 804. sq. extimuit *sedens*
uterque *solio* dominus et duci iubet.

Aen. VI. 395 sq. ubi Charon de Hercule

Tartarum ille manu custodem in vincla petivit
ipsius a solio regis traxitque trementem.

Restat ut mentionem faciam de umbrarum enumeratione; Herc. fur. vs. 848 sqq. enim legimus:

tanta per campos agitur silentes
turba! pars tarda gradiens senecta
tristis, et longa satiata vita;

[1]) Tissot hunc locum tractans (Etudes sur Virgile I. pag. 473) scripsit: Ni le Dante ni l'auteur de Télémaque n'ont reproduit la petite circonstance de la barque, qui fléchit sous le poids d'Enée; Sénèque, qui pousse tout à l'excès, mais qui a l'excuse de parler d'Hercule dit: Le fils d'Alcmène, impatient de tout retard fait violence au nocher des morts avec son propre aviron, et monte sur la poupe; la barque capable de contenir tant de peuples fléchit sous le poids d'un seul homme.

pars adhuc currit melioris aevi:
virgines nondum thalamis iugatae
et comis nondum positis ephebi
matris et nomen modo doctus infans,

quibuscum conferatur Aen. VI. 305 sqq.

huc omnis turba ad ripas effusa ruebat,
matres atque viri, defunctaque corpora vita
magnanimum heroum, pueri, innuptaeque puellae
impositique rogis iuvenes ante ora parentum [1]).

Apud utrumque poetam videmus Orpheum quoque descendentem ad inferos (Herc. Oet. 1060 sqq., Georg. IV. 480 sqq.) Utroque loco umbrae Orpheo canente linquunt labores: Ixionis rota consistit, Tantalus non memor est sitis, Cerberus et „crudus" ille portitor Charon sonis flebilibus moventur.

Oed. 180 sqq. Descriptio pestilentiae.

Notas morbi enumerat poeta ut Thucydides, Ovidius, Vergilius in Georgicis, lib. III. vs. 478 sqq. Etsi multa sunt similia Vergilii descriptioni, opus tamen non est ut de imitatione cogitemus quia morbi notae depinguntur. Conferendi tamen mihi videntur versus, qui in Oedipode praecedunt, cum Georg III. 534 sqq.

vs. 145. incubant agris pecudes relictae;
taurus armento pereunte marcet:
deficit pastor grege deminuto
tabidos inter moriens iuvencos.

[1]) Aen. VI. 306—308 = Georg. IV. 475—77 Cf. Hom. Od. XI. 38 sq.

non lupos cervi metuunt rapaces,
cessat irati fremitus leonis,
nulla villosis feritas in ursis;
perdidit pestem latebrosa serpens:
aret et sicco moritur veneno.

Georg. III. 534 sqq.

ergo aegre rastris terram rimantur, et ipsis
unguibus infodiunt fruges, montesque per altos
contenta cervice trahunt stridentia plaustra.
Non lupus insidias explorat ovilia circum
nec gregibus nocturnus obambulat, acrior illum
cura domat. Timidi dammae cervique fugaces
nunc interque canes et circum tecta vagantur.

Denique animum attendas ad versum 187, ubi de tumore, e ferventi sanguine orto, dicitur:

sacer ignis
pascitur artus,

quocum conferatur Georg. III. 566, ubi Vergilius eadem de re:

contactos artus sacer ignis edebat.

Thyest. 641. Descriptio regiae.

In arce summa Pelopiae pars est domus
conversa ad Austros, cuius extremum latus
aequali monte crescit atque urbem premit
et contumacem regibus populum suis
habet sub ictu; fulget hic turbae capax
immane tectum, cuius auratae trabes
variis columnae nobiles maculis ferunt.

e. q. s. usque ad vs. 664.

Conferatur haec descriptio cum libri septimi Aeneidos vs. 170 sqq.

tectum augustum, ingens, centum sublime columnis,
urbe fuit summa, Laurentis regia Pici,
horrendum silvis et religione parentum;
hic sceptra accipere et primos attollere fasces
regibus omen erat,

e. q. s.

ubi Heyne annotat: „imitatus est locum multo cum verborum tumore Seneca, Thyest. 641—664;" quam ob causam de his locis multis verbis non utar. Tamen animum attendas velim ad vs. 646 sq.

immane tectum, cuius auratae trabes
variis columnis nobiles maculis ferunt,

et ad Vergilii vs. 170

tectum immane, ingens centum sublime columnis.

Sic quoque Thyest. vs. 657

hinc auspicari regna Tantalidae solent

conferatur cum Vergilii vs. 173 sqq.

hic sceptra accipere et primos attollere fasces
regibus omen erat, hoc illis curia templum,
hic sacris sedes epulis, hic ariete caeso
perpetuis soliti patres considere mensis,

quem locum etiam in Agamemnone vs. 8 sqq. expressum videmus, ubi Thyestis umbra de Agamemnonis regia:

hinc auspicari regium capiti decus
mos est Pelasgis: hoc sedent alti toro,
quibus superba sceptra gestantur manu,
locus hic habendae curiae, hic epulis locus.

Denique conferantur loci de armis et spoliis muris affixis, qui in utraque descriptione inveniuntur:

Thyest. 659 sqq.

affixa inhaerent dona, vocales tubae
fractique currus, spolia Myrtoi maris
victaeque falsis axibus pendent rotae,

et Aen. VII. 183 sqq.

multaque praeterea sacris in postibus arma,
captivi pendent currus, curvaeque secures,
et cristae capitum, et portarum ingentia claustra,
spiculaque clypeique ereptaque rostra carinis.

II.

Locis expositis, quibus poeta tragicus ad Vergilii exemplum se composuisse eumque expressisse videtur, pervenimus ad inquisitionem in comparationes et imagines, quae in utriusque carminibus inveniuntur quaeque imitationis indicia exhibent.

Ac primum quidem videmus apud Vergilium imaginem naviculae adverso flumine propulsae ac mox undis vehementer reiectae:

Georg I. sqq.

sic omnia fatis
in peius ruere ac retro sublapsa referri,
non aliter quam qui adverso vix flumine lembum
remigiis subigit, si brachia forte remisit,
atque illum praeceps prono rapit alveus amne.

Eadem fere imagine usus est poeta tragicus Phaedr. 181 sqq., ubi Phaedra ut amoris vim illustret dicit:

s i c q u u m g r a v a t a m n a v i t a a d v e r s a r a t e m
p r o p e l l i t u n d a, c e d i t i n v a n u m l a b o r
e t v i c t a p r o n o p u p p i s a u f e r t u r v a d o.

Cui imagini similis est comparatio apud Ovidium, Am. II. 4, sq., qua etiam amorem suum depingit:

nam desunt vires ad me mihi iusque regendum,
auferor ut rapida concita puppis aqua.

Poetam tragicum tamen Vergilii exemplum secutum esse, non Ovidii, ideo veri simile mihi videtur quod Phaedra loquitur de *labore nautae adverso flumine remigantis*, cuius rei in Ovidii imagine non fit mentio. Huius imitationis indicium hinc quoque manifestum est quod Vergilii verba „*adverso flumine*, et *prono amne*" plane respondent iis, quibus poeta iisdem locis utitur „propellit ratem *unda adversa*," et „illum rapit alveus *prono amne*". [1]) His alter locus, ex Thyeste petitus, addi potest, qui iure quodam ad Vergilii exemplum revocatur; vs. 437 sqq. enim Thyestes ait:

a l i o (q u e) q u a m q u o n i t o r a b d u c t u s f e r o r;
s i c, c o n c i t a t a m r e m i g e e t v e l o r a t e m,
a e s t u s, r e s i s t e n s r e m i s e t v e l o, r e f e r t.

Similia tamen etiam Ovidius habet Heroid. XXI. 41.

Aliquanto certior res esse videtur in imagine, quae extat Herc. Oet. vs. 798 sqq. Ibi enim poeta depingit clamorem editum ab Hercule, cuius corpus cruore Nessi divellitur. Illustrat rem imagine tauri ante aram vulnerati:

q u a l i s i m p r e s s a f u g a x
t a u r u s b i p e n n i v u l n u s e t t e l u m f e r e n s
d e l u b r a v a s t o t r e p i d a m u g i t u r e p l e t,

---

[1]) J. A. Washietl in Dissert. »de similitudinibus imaginibusque Ovidianis" hanc imaginem tractans sic scripsit: „.... apud ceteros »poetas et Graecos et Latinos huius rei nullum inveni exemplum, quam»quam latissime patet in tota veterum poesi imaginum usus a navibus »depromptarum." Loquitur enim de iis, qui ante Ovidium fuerunt, poetis.

ad quam conscribendam excitatus videtur a Vergilio, qui Aen. II. 224 sq. Laocoontis clamores eadem ratione describit:

[quales mugitus] fugit quum saucius aram
taurus et incertam excussit cervice securim.

Vergilius antem Homeri locum ante oculos habuit; hic enim Il. XX. 403, 404 habet

αυτὰρ ὁ θυμὸν ἄισθε καὶ ἤρυγεν, ὡς ὅτε ταῦρος
ἤρυγεν ἑλκόμενος Ἑλικώνιον ἀμφὶ ἄνακτα
κούρων ἑλκόντων.

Ovidius etiam Herculis cruciatus simili imagine illustrat Metam. IX. 205 sq.

haud aliter graditur, quam si venabula taurus
corpore fixa gerat, factique refugerit auctor.

Nemo tamen non videt poetam tragicum Vergilium secutum esse; neque Homerus enim neque Ovidius loquitur de vulnerati tauri mugitu: alter depingit taurum mugientem, qui trahitur ad aram, alter imaginem petit a tauro vulnerato a venatore. Huc pertinet Agam. 777 sq. ubi de tauro quoque incerto ictu vulnerato sermo est. Cassandra enim humi prostrata est:

flexo qualis ante aras genu
cervice taurus *vulnus incertum* gerens.

Herc. fur. 1046 sqq. duae coniunctae sunt imagines. De Hercule enim dicit Amphitryon:

flexo genu iam totus ad terram ruit,
ut caesa silvis ornus, aut portus mari
datura moles,

quibuscum conferatur imago ad Troiae excidium spectans, Aen. II. 626 sqq.

ac veluti summis antiquam in montibus ornum
quum ferro accisam crebrisque bipennibus instant
eruere agricolae certatim.

Similes comparationes etiam apud Homerum extant, ex quarum numero hae duae sufficiant: Il. XIII. 389 sqq. de homine occiso dicitur:

ἤριπε δ'ὡς ὅτε τις δρῦς ἤριπεν η ἀχερωίς,
ἠὲ πίτυς βλωθρή, τὴν δ'οὔρεσι τέκτονες ἄνδρες
ἐξέταμον πελέκεσσι νεήκεσι νήιον εἶναι.

Il. IV. 482.

ὃ δ'ἐν κονίῃσι χαμαὶ πέσεν αἴγειρος ὥς.

Imitationis indicium tamen hoc esse videtur quod uterque poeta Romanus de orno locutus est.

Quod attinet ad alteram imaginem, Vergilius habet Aen. IX. 708 sqq.

collapsa ruunt immania membra.
— — — — — — — — — — — — —
Talis in Euboico Baiarum litore quondam
saxea pila cadit, magnis quam molibus ante
constructam ponto iaciunt [1]).

Saxum durum etiam in Phaedra, vs. 580 sqq., poetae tragico aptam praebuit imaginem ad *animi rigorem* illustrandum; de Hippolyto enim Phaedrae nutrix dicit:

ut dura cautes undique intractabilis
resistit undis et lacessentes aquas
longe remittit, verba sic spernit mea,

qua ipsa imagine Vergilius usus implacabilem Didonis mentem depingit Aen VI. 469 sqq.

[1]) Vergilium expressit Silius IV. 297.

illa solo fixos oculos aversa tenebat,
nec magis incepto vultum sermone movetur,
quam si dura silex aut stet Marpesia cautes [1].

Huius comparationis tamen permulta apud Graecos extant exempla ut Aeschyli Prom. 242. **σιδηρόφρων τε κἀκ πέτρας εἰργασμένος.** Difficile igitur est diiudicatu sitne hoc loco Vergilium secutus poeta tragicus necne.

His expositis iam commemoranda est translatio, qua utitur poeta tragicus ut Agamemnonis furorem vulnerati ab Aegistho depingat. Agam. 890 sqq.

haurit trementi semivir dextra latus,
nec penitus egit: vulnere in medio stupet.
At ille, ut altis hispidus silvis aper,
quum casse vinctus tentat egressus tamen
artatque motu vincla, et in cassum furit,
cupit fluentes undique et caecos sinus
disicere, et hostem quaerit implicitus suum.

Sic etiam Vergilius, Aen. X. 707 sqq. Mezentii illustrat virtutem, qua is resistit Troianis, imagine usus apri, qui a canibus actus in retia subsistit et „hastas decutit tergo".

ac velut ille canum morsu de montibus altis
actus aper, multos Vesulus quem pinifer annos
defendit, multosque palus Laurentia, silva
pastus arundinea, postquam inter retia ventum est
substitit, infremuitque ferox et inhorruit armos,
e. q. s. [2]).

[1]) cf. Ovid. Metam. XIII. 539 sqq., ubi Vergilii locus est expressus. Ibi autem de animi *torpore*, non de mentis *rigore* fit mentio.

[2]) Apri imagines, quae extant apud Homerum et Ovidium diligenter congessit Washietl, »de simil. imagin. Ovid.," pag. 17, 18, qua de causa de iis non disserui.

Eadem imagine poeta uterque illustrat furorem mulieris, cuius amorem vir sprevit; Med. 382 enim nutrix dicit de Medea:

incerta qualis entheos cursus tulit,
quum iam recepto Maenas insanit Deo
Pindi nivalis vertice, aut Nysae iugis:
talis recursat huc et huc motu effero,
furoris ore signa lymphati gerens.

Reperitur haec imago Aen. IV. 300 sqq., ubi Didonis furor describitur, quae sentit Aeneam in animo habere clam proficisci.

saevit inops animi totamque incensa per urbem
bacchatur, qualis commotis excita sacris
Thyias, ubi audito stimulant trieterica Baccho
orgia nocturnusque vocat clamore Cithaeron.

Herc. Oet. 143 sqq. chorus Herculem ita alloquitur: non Iove natus sed inter populos feros et barbaros procreatus es et a feris bestiis nutritus:

quae cautes Scythiae, quis genuit lapis?
Num Titana ferum te Rhodope tulit,
te praeruptus Athos, te fera Caspias,
quae virgata tibi praebuit ubera?

quae quum translatio apud multos alios inveniatur poetas [1]), tamen notandum est a Vergilio quoque saxa et tigres coniungi. Aen. IV. 365 enim Dido his verbis alloquitur Aeneam,

[1]) cf. Ecl. VIII. 43 sqq., Catull. 64, 154 sqq., Hor. Od. I. 3. 9, Ovid. Metam. II. 224, VII. 32. VIII. 120. Trist. I. 8. 41, III. 11. 3, Tib. I. 163, III. 4. 85.

„nec tibi diva parens, generis nec Dardanus auctor,
perfide, sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanaeque admorunt ubera tigres.

Patet verba

te fera Caspias,
quae virgata tibi praebuit ubera,

respondere Vergilii verbis *„Hyrcanae admorunt ubera tigres"*. Quod dicit Dido vs. 365 *„Nec tibi diva parens, generis nec Dardanus auctor"* Herc. Oet. 147 sqq. a choro multo cum verborum tumore expressum est:

falsa est de geminis fabula noctibus,
aether quum tenuit sidera longius,
commisitque vices Lucifer Hespero
et solem vetuit Delia tardior.

Thyest. 588 sq. videmus mare quietum cum palude collatum:

si suae ventis cecidere vires,
mitius stagno pelagus recumbit,

qua imagine expressus videtur locus vergilianus; Aen. VIII. 88 sqq. enim legimus:

tacita refluens ita substitit unda,
mitis ut in morem stagni, placidaeque paludis
sterneret aequor aquis.

Recensitis imaginibus ab utroque poeta adhibitis circumlocutiones nonnullae, quae et in tragoediis et in Vergilii carminibus extant, hic enumerentur. Ac primum quidem Agam. 591 sqq. chorus exclamat:

heu quam dulce malum mortalibus additum,
vitae dirus amor, quum pateat malis
effugium, et miseros libera mors vocet,
portus aeterna placidus quiete!

Portus metaphorice de morte homini requiem afferente usurpatus legitur Aen. VII. 598, ubi senex rex Latinus dicit:

nam mihi parta quies, omnisque in limine portus.

Qua imagine utitur Ennius [1] et post Vergilium Statius [2]. Cum his conferendus est Herculis furentis locus [3], ubi chorus Somnum, mortis fratrem, alloquens dicit:

Pater o rerum, *portus vitae,*
lucis requies noctisque comes
e. q. s.

Herc. Oet. 315 sq. dicitur de fama Herculis:

caelo tenus
erecta terras fama suppositas habet.

Eadem imagine utitur Vergilius Aen. I. 379, ubi Aeneas de se dicit:

sum pius Aeneas — — — — — — —
fama super aethera notus

et Ecl. I. 58, ubi de Daphnide:

sub pedibus(que) videt nubes et sidera Daphnis.

Turris altitudo describitur Agam. 92:

nubibus ipsis inserta caput
turris,

qua ipsa circumlocutione utitur Vergilius Aen. IV. 177, ubi celeberrimo de fama loco dicit:

---

[1] Ap. Cic. Tusc. I. 44. 107.
[2] Stat. Silv. II. 2. 140.
[3] Herc. fur. 1072.

ingrediturque solo et caput inter nubila condit,

quae verba redeunt Aen. X. 767.

Herc. Oet. 104 sqq. felix vocatur is, qui nec mortem neque Orcum timet, et vs. 107 sqq. chorus pergit:

quisquis *sub pedibus fata rapacia*
et puppem posuit fluminis ultimi,
non captiva dabit brachia vinculis,

quae sententia, ex Epicuri philosophia petita, apud Vergilium quoque invenitur, qui eadem metaphora usus, Georg. II. 490 sqq. dicit:

felix, qui potuit rerum cognoscere causas
atque metus omnis et inexorabile fatum
subiecit pedibus strepitumque Acheron-
(tis avari.

Singula in utraque metaphora inter se respondere quivis intellegit, quamquam poeta tragicus verba „strepitum Acherontis avari subiecit pedibus", leviter variavit, dicens „sub pedibus posuit puppem fluminis ultimi", itaque non sine veri specie statuere mihi videor eum Vergilii exemplum hic secutum esse.

Agam. 471. de mari ventis commoto dicitur:

in astra pontus tollitur,

quacum dictione Lemaire confert Ovidii Metam. XI. 497 sq.

fluctibus erigitur, caelumque aequare videtur
pontus et inductas aspergine tinguere nubes,

recte, sed maiore iure, ut videtur, Aeneidos locus laudatur: libri I. vs. 102 sq.

talia iactanti stridens Aquilone procella
velum adversa ferit, fluctusque ad sidera tollit,

quo loco non solum eandem circumlocutionem videmus, sed sententiam iisdem fere verbis expressam.

Ita Aen. III. 423, ubi de Charybdi „*sidera verberat unda*" [1]).

Herc. fur. 237 dicitur Hercules montes divisisse, quibus Hispania Africae iungebatur:

utrimque montes solvit ac *rupto obice*
latam ruenti fecit Oceano viam!

ita quoque Vergilius *litora* vocat maris *obices,* quae vox proprie omnia significat, quae alicui rei obiciuntur, ut claudatur vel cohibeatur, velut claustra, repagula; Georg. II. 480 sqq. enim dicit:

(me ante omnia Musae monstrent)
unde tremor terris, qua vi maria alta tumescant
obicibus ruptis rursusque in se ipsa residant.

Participium „ruptis" utroque loco voci „obicibus" coniunctum facit ut etiam magis de imitatione hic cogitemus.

Amoris vim ut depingat, uterque poeta iisdem verbis utitur. Phaedr. 278 enim chorus canit:

labitur totas furor in medullas,
igne furtivo populante venas,

quibuscum conferatur initium Aeneidos libri quarti

at regina gravi iamdudum saucia cura
vulnus alit venis et caeco carpitur igne;

et paulo infra in eadem tragoedia vs. 487 et vs. 642 de amore dicitur:

vorat penitus medullas,

ut Aen IV. 66

est mollis flamma medullas,

quae quidem dicendi forma apud multos alios invenitur [2]).

[1]) cf. Ovid. Trist. I. 2. 19 „Quanti montes volvuntur aquarum! iam iam tacturos sidera summa putes."

[2]) cf. Catull. XXXV. 14. XLV. 16. LXVI. 23.; Ovid. Am. II. 19. 43; Hom. Il. VI. 201. Od. IX. 75.; Hor. Od. II. 11. 18. alibi.

III.

His breviter expositis iam ad alios locos transeamus, qui certa imitationis vestigia ostendunt, quum aut easdem res iisdem verbis narratas exhibent, aut alia ex parte cum Vergilii versibus conspirent.

Troad. 15 Hecuba de Troia diruta atque in cinerem versa dicit:

en *alta* muri *decora* congestis iacent
tectis adusti,

quae verba cuivis, opinor, in mentem revocant locum secundi Aeneidos libri, ubi vs. 448 de iis, qui Priami arcem defendunt, dicitur:

auratasque trabes, veterum decora alta parentum
devolvunt [1]).

Troad. 141 de Priamo dicitur:

Sigea premis *litora truncus.*

Aen. II. 557 de eodem

iacet ingens litore truncus.

[1]) *Decora alta* legitur etiam Aen. I. 429 et apud Silium III. 144, Statium Theb. V., 422, quorum utrumque Vergilium imitatum esse constat.

Troad. 229 enumerantur loca, ubi pugnavit Achilles et oppida, quae cepit, in quorum numero est insula Tenedos. Haec autem vocatur a poeta tragico vs. 224:

„nota fama Tenedos",

quae verba ex Aeneidos libro secundo petita videntur, ubi vs. 21:

est in conspectu Tenedos, notissima fama
insula.

Troad. 464 sqq. Andromache de Astyanacte loquens exclamat:

hos vultus meus
habebat Hector, talis incessu fuit,
habituque talis, sic tulit fortes manus.

Aen. III. 490 Ascanio conspecto eadem de filio suo dicit:

sic oculos,
sic tulit ille manus, sic ora ferebat,

quibuscum conferantur ea, quae Phaedr. 655 sq. dicuntur a matre, quae in filio agnovit, vel dicit se agnovisse, patrem.

talis, en talis fuit,
quum placuit hosti, sic tulit celsum caput [1]).

Troad. 471 Andromache filio suo dicit:

rediviva ponas Pergama

ita Vergilius, qui aliquoties his verbis utitur:

Aen. IV. 344.

et rediviva manu posuissem Pergama victis;

Aen. VII. 322.

[1]) Cf. Hom. Od. IV. 149, ubi Menelaus Telemachum cum Ulixe comparat.

funestaeque iterum rediviva in Pergama taedae;
Aen. X. 58
dum Latium Teucri redivivaque Pergama quaerunt.

Troad. 683 Andromache furore correpta conspicit Hectoris umbram et exclamat:

arma concussit manu,
iaculatur ignes,

illius diei memor, quo Graecorum naves igne petebat.

Non potest quin nobis in mentem veniat Aen. II. 275 sqq., ubi Aeneas videt Hectoris umbram:

quantum mutatus ab illo
Hectore, qui redit exuvias indutus Achilli,
vel Danaum Phrygios iaculatus puppibus ignes,

quem locum etiam Troad. 444. expressum esse iam supra vidimus.

Troad 777 sqq. deplorans mortem sui filii, quem Graeci ante reditum sunt interfecturi, Andromache iam multa questa exclamat:

nec stato lustri die,
solemne referens Troici lusus sacrum,
puer citatas nobilis turmas ages,

lusum illum significans a nobilibus pueris peractum, quem describit Vergilius Aen. V. 547 sqq.

hunc morem cursus atque haec certamina primus
Ascanius, Longam muris quum cingeret Albam,
rettulit et Priscos docuit celebrare Latinos;

quod poeta tragicus dicit: *solemne referens Troici lusus sacrum,* ubi *„referens"* repetitionem indicare videtur, id paulo infra etiam apud Vergilium invenies, qui vs. 605 habet:

variis tumulo referunt solemnia ludis.

Troad. 905 sqq. Helena dicit:

— — — — — — — — causam — — —
possum tueri iudice infesto meam
graviora passa.

Similia leguntur Aen. I. 199, ubi Aeneas socios alloquens exclamat:

o passi graviora, dabit deus his quoque finem [1]).

Agam. 18, ubi Tityi apud inferos poena memoratur, haec leguntur:

ubi *tondet* ales avida *fecundum iecur;*

ita Aen. VI. 597 sqq.

rostroque immanis vultur obunco
immortale iecur tondens, fecundaque poenis
viscera,

et Vergilii imitator Silius, apud quem XIII. 837 invenitur:

quae tondentur praecordia rostro alitis [2]).

Agam. 24.

quaesitor urna Cnosius versat reos

conferatur cum Aen. VI. 432.

quaesitor Minos urnam movet.

---

[1]) cf. Hor. Od. I. 7. 30.

[2]) Tondere his locis idem valet quod depascere, devorare cf. Lucret. II. 659; Georg. I. 15; Aen. III. 537; Hom. Od. XI. 577 *γῦπε...... ἧπαρ ἔκειρον.*

Hic tamen poeta tragicus Vergilium verbis tantum esse secutus videtur, non re; hic enim de iudicibus sortiendis loquitur [1]), ille vero sortitionem causarum, quo ordine sint inducendae, respicit.

Apertissime autem Vergilii locum imitatus est Herc. fur. 731 sq.

non unus alta sede quaesitor sedens
iudicia trepidis sera sortitur reis.

„iudicia sortiri" enim idem est quod „iudices sortiri" ideoque plane respondet Vergilii verbis urnam „movet," sc. „in qua sunt nomina iudicum."

Agam. 213 sq.

non Xanthus armis corpora immixtis gerens
fluctusque Simois caede purpureus agens,

conferatur cum Aen. I. 100 sq.

ubi tot Simois correpta sub undis
scuta virum galeasque et fortia corpora volvit.

Agam. 217 sq.

non picta pharetras et securigera manu
peltata Amazon.

Haec omnia attributa ex Aen. XI. 648–662 sumpta videntur, ubi Camilla describitur Amazonibus more et vestitu similis. [2]).

---

[1]) Cf. Heyne in excursu XI ad Aeneidos librum VI.

[2]) Imprimis conferantur vs. 648 sqq.

At medias inter caedes exsultat Amazon,
unum exserta latus pugnae, pharetrata Camilla,
et nunc lenta manu spargens hastilia denset,
nunc validam dextra rapit indefessa bipennem.

Hic quoque in mentem venit Aen. I. 490 sq.

ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Penthesilea furens,

quibuscum conferatur Medeae vs. 213, ubi Amazones vocantur „armata peltis cohors", et praecipue Phaedrae vs. 401 sq., ubi Phaedra dicit:

lunata latus
protecta *pelta*, talis in silvas ferar;

ita Statius Theb. V. 48 loquitur de *agmine lunato.*

Agam. 340 sq.

ades, o magni *soror et coniux*
consors sceptri, *regia Iuno.*

conferatur cum Aen. I. 46, ubi Homericum quoque illud κασιγνήτην τ'ἄλοχόντε redditur verbis *soror et coniux:*

ast ego, quae divum incedo regina Iovisque
et soror et coniux,

quem locum Ovidius expressit Metam. III. 265, ubi Iuno exclamat:

si sum regina Iovisque
et soror et coniux;

sic quoque Metam. XIII. 574 Iuno vocatur *Iovis coniuxque sororque.*

Agam. 416 sqq. Eurybates Clytemnestrae narrat quo modo Graeci, Troia domum profecti, naufragium fecerint et his verbis incipit narrationem:

acerba fatu poscis, infaustum iubes
miscere laeto nuntium, refugit loqui
mens aegra, tantis atque inhorrescit malis,

eodem modo igitur, quo Aeneas Aen. II. 3, sqq.

infandum regina iubes renovare dolorem,
e. q. s.

ex quibus praecique attendatur versus 12,

quamquam animus meminisse horret luctuque refugit,

ubi verbum „refugit" cum infinitivo „meminisse" construitur ut in Agamemnone cum infinitivo „loqui".

Paulo infra, in procellae descriptione, quae, ut iam vidimus, ex libro I Aeneidos petita est, habemus haec:

(vs. 499) illam *dehiscens* pontus in praeceps rapit,

quibuscum conferatur Aen. I. 106 sq., ubi eadem in re dicitur:

his unda dehiscens
terram inter fluctus aperit. [1])

Agam. 571. in eadem descriptione:

haerent *acutis rupibus fixae* rates.

Cf. Aen. I. 45, ubi Iuno hoc ipsum naufragium respiciens de Aiace dicit:

illum — — — — — — — — — —
turbine corripuit, scopuloque infixit acuto.

---

[1]) Verbum *dehiscere* in tragoediis et apud Vergilium quoque *desperantis* est. Troad. 520 Andromache exclamat: »dehisce tellus," quod item Phaedr. 1238 legitur: »dehisce tellus, recipe me dirum chaos." Ita quoque Aen. IV. 24, ubi Dido: »sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat"; Aen. X. 675: »quid ago? aut quae iam satis ima dehiscat terra mihi?" Ita Sil. IX. 538.

Omnibus his locis Homerus expressus esse videtur: Il. IV. 182. *τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών.*

Agam. 613 sqq. Chorus de Troia canit:

non illa bello victa, nec armis,
— — — — — — — — — — —
quam non Pelei Thetidisque natus
carusque Pelidae nimium feroci
vicit, acceptis quum fulsit armis,
fuditque Troas falsus Achilles;
aut quum ipse Pelides animos feroces
sustulit luctu, celeremque saltu
Troades summis timuere muris,
— — — — — — — — — — —
— — — — — restitit annnis
Troia bis quinis,

quam sententiam invenies Aen. II. 196 sqq.

captique dolis lacrimisque coactis,
quos neque Tydides, nec Larissaeus Achilles,
non anni domuere decem, non mille carinae.

Agam. 747 sq. Cassandra de Troilo:

te sequor, nimium cito
congresse Achilli Troile.

Cf. Aen. I. 475 sq., ubi ab Aenea conspicitur

parte alia fugiens, amissis Troilus armis:
infelix puer atque impar congressus Achilli.

Herc. fur. 1 sq. Iuno exclamat:

soror Tonantis (hoc enim solum mihi
nomen relictum est).

Hunc locum, ut Gronovius annotat, sumpsit poeta a Vergilio. apud quem Aen. IV. 323 sq. Dido Aeneae dicit:

cui me moribundam deseris hospes,
hoc solum nomen quoniam de coniuge restat.

Cui loco simillimus est Aen. II. 677 sq.

cui parvus Iulus,
cui pater et coniux quondam tua dicta relinquor?

Herc. fur. 105 Iuno hortatur Furias ut Herculem pessumdent:

hoc agite, poenas petite vitiatae Stygis,
concutite pectus;

ita Aen. VII. 337 sq. ubi Alecto a Iunone iubetur foedus, ictum inter Aeneam et Latinum, rumpere et sic illum perdere:

— — — — — — — — — *tibi nomina mille,*
mille nocendi artes, fecundum concute pectus;

ceterum verbo concutiendi et Horatius hac significatione utitur, cf. Sat. I. 3.34. *denique te ipsum concute;* Cic. de Off. III. 20. 81. *explica et excute intelligentiam tuam.*

Herc. Oet. 160.

supra *Thessalicum* cum stetit *aggerem.*

„Thessalicus agger" pro Pelione, Ossa, Olympo, montibus Thessaliae, ut Aen. VI. 830 sq. Vergilius Alpium montes dicit „aggeres Alpinos:"

aggeribus socer Alpinis atque arce Monoeci
descendens, gener adversis instructus Eois.

Herc. Oet. 178 sqq.

alio nostras fortuna vocat
lacrimas: alias flere ruinas
me fata iubent.

Ita queritur Iole. Apud Vergilium similia invenies Aen. XI. 96 sq. ubi Aeneas, postquam iusta solvit corpori Palantis, dicit:

nos alias hinc at lacrimas eadem horrida belli
fata vocant.

Herc. Oet. 320 sq.

saxa iam dudum et faces
in te ferentur.

Tela seditiosi populi ita memorantur Aen. I. 150:

iamque faces et saxa volant, furor arma ministrat.

Herc. Oet. 344 sq. Deianira exclamat:

ire, ire ad umbras Herculis nuptam libet,
sed non inultam,

et infra vs. 845. sq.

eat per artus ensis exactus meos,
sic, sic agendum.

Forbigero auctore utroque loco respexit poeta Aen. IV. 660 sq., ubi Dido simili in re:

moriemur inultae,
sed moriamur! ait: sic, sic iuvat ire sub umbras.

Pro verbo moriendi enim uterque poeta dicit „ire ad (sub) umbras"; et sententiam „hac ipsa ratione moriar, qua semel constitui" alter verbis „*sic, sic* agendum" alter „*sic, sic* iuvat ire sub umbras" exprimit.

Herc. Oet. 519 sq. de moriente Nesso dicitur

ille iam *quaerens diem*
tabum fluentem vulneris dextra excipit;

idem de Didone Aen. IV. 491

ter revoluta toro est, oculisque errantibus alto
quaesivit coelo lucem

et apud Vergilii imitatorem Silium VI. 11

frustra seminecum quaerentia lumina coelum.

Herc. Oet. 802

sic ille gemitu sidera et pontum ferit.

Ita Vergilius dicit Aen. II. 488

ferit aurea sidera clamor

et Aen. V. 140

ferit aethera clamor nauticus.

Herc. Oet. 868 sq. Deianira exclamat:

utinam esset, utinam *fixus in thalamis meis*
Hercules ensis: huic decet ferro immori,

de quo loco Leo [1]) haec scripsit: „Ferrum iam bis sibi elegerat Deianira bisque improbarat (845, 858). Nunc Herculis potissimum ense sibi pereundum putat. At quis poetarum post Pisandrum et Stesichorum de Herculis ense locutus est? Minime Sophocles, quum Deianiram ferro mori faciat et in thalamo quidem coniugis. Poeta Romanus a Vergilio excusationem paratam habebat, apud quem Dido (Aen. IV. 494 sqq.)

tu secreta pyram tecto interiore sub auras
erige et arma viri, thalamo quae fixa reliquit
impius exuviasque omnes — — — — — — — —
super imponas."

Herc. Oet. 1235 sq. Hercules dicit:

[1]) Leo, de Sen. trag. obs. crit. p. 54.

hisne ego lacertis colla Nemeaei mali
elisa pressi?

„Premere et elidere", quibus verbis Herculis vis significatur, iungit etiam Vergilius Aen. VIII. 289, ubi item de Hercule loquitur:

ut prima novercae
monstra manu geminosque premens eliserit angues

Cum his conferantur Herc. fur. 225 gemuit lacertis pressus Herculeis, et Agam. 829 te sensit Nemeaeus arto pressus lacerto, quibus locis verbum premendi Herculeum vigorem designat.

Herc. Oet. 1340 sq.

o nate, liceat *spiritus* fugiens *meo*
legatur ore;

ita Aen. IV. 684 Anna, Didonis soror, exclamat:

extremus si quis super halitus errat
ore legam.

His similia apud alios inveniuntur. Sic Cic. Verr. V. 45. 118 *matres .... quae nihil aliud orare solent, nisi ut filiorum extremum spiritum ore excipere sibi liceret;* Just. XXIII. 4 *periculo spiritus sui empturum ut extremos viri spiritus exciperet.* Ovid. Metam. VII. 860 sq.

et in me
infelicem animam nostroque exhalat in ore.

Herc. Oet. 1837 sqq. Alcmene dicit:

sedabo questus? vindicem amisi parens
terrae atque pelagi, quaque purpureus dies
utrumque clara *spectat Oceanum* rota.

Eandem locutionem invenies Aen. VII. 100 sqq.

quorumque a stirpe nepotes
omnia sub pedibus, qua sol utrumque recurrens
adspicit Oceanum, vertique regique videbunt.

Phaedr. 44 sqq. In venationis descriptione Hippolytus imperat:

alius *raras* cervice gravi
portare *plagas*, alius teretes
properet laqueos — — — —
— — — — — — — — — — —
Tu grave dextra laevaque simul
robur lato dirige *ferro;*

quocum loco conferatur Aen. IV. 130 sqq., ubi Dido et Aeneas domo venatum abeunt:

it portis iubare exorto delecta iuventus;
retia rara, plagae, lato venabula ferro,
Massylique ruunt equites et odora canum vis.

Phaedr. 155 sq.

quid ille, qui mundum quatit,
vibrans *corusca fulmen* Aetnaeum *manu*

conferantur cum Georg. I. 329 sq.

ipse Pater media nimborum in nocte corusca
fulmina molitur dextra.

Ita Oed. 1028 sq.

non si ipse mundum concitans Divum sator
corusca saeva tela iaculetur manu.

Imitatio probat *corusca* apud Vergilium ablativum esse et coniungendum cum *dextra* non cum *fulmina.*

Phaedr. 219 sqq.

non umquam amplius

convexa tetigit *supera*, qui mersus semel
adiit silentem nocte perpetua domum.

Cf. Aen. VI. 650 sq.

scilicet immemores supera ut convexa revisant
rursus et incipiant in corpora velle reverti.

Quamquam sunt versus non omni ex parte similes, tamen notandum est utroque loco verba *supera convexa* significare *partem supernam convexi terrarum orbis,* non *caeli convexa,* sive *caelum,* ut alibi, velut Aen. VI. 240 sq.

talis se halitus atris
faucibus effundens supera ad convexa ferebat,

et Aen. X. 251.

Vergilius habet, Aen. IV. 451, *caeli convexa tueri.* Sic legimus in Phoenissarum tragoedia vs. 993:

magis magisque concussi labant
convexa caeli.

Hoc autem etiam apud alios invenitur.

Phaedr. 448 sqq. Phaedrae nutrix Hippolytum adhortatur his verbis:

cur toro viduo iaces?
tristem iuventam solve; nunc cursus rape,
effunde habenas; optimus vitae dies
effluere prohibe,

quam translationem a re equestri petitam ad animi motus depingendos ita usurpat Vergilius Aen. XII. 499

irarum omnes effundit habenas;

sententiam autem totius loci invenies Aen. IV. 32 sq., ubi Anna Didonem his verbis alloquitur:

solane perpetua maerens carpere iuventa,
nec dulces natos, Veneris nec praemia noris?

Phaedr. 1072 sq.

qualis turbido rector mari
ratem retentat, *ne det obliquum latus,*

conferatur cum Aen. I. 104, ubi item verba *latus dare* de nave usurpantur,

tum prora avertit et undis
dat latus.

Oed. 156

non rura virent *ubere glebae.*

Cf. Aen. I. 531

terra antiqua potens armis atque ubere glebae,

ita Aen. III. 95, ubi de „*laeto ubere*" loquitur poeta, Aen. VII. 262, Georg. II. 185, 234, 275.

Oed. 304

in vota superos voce solemni *voca.*

Deos in vota vocare h. e. *invocare* aliquoties apud Vergilium invenitur, qui hac loquendi forma utitur eadem significatione qua dicit „*in partem praedamque vocare*" (Aen III. 222); Aen. V. 234 sq. enim habet:

ni palmas ponto tendens utrasque Cloanthus
fudissetque preces divosque in vota vocasset;

Aen. VII. 471

haec ubi dicta dedit deosque in vota vocasset.

Thyest. 355 sq.

non quidquid Libycis terit,
fervens area messibus

poetice dicitur pro *quidquid teritur in area* ut Georg. I. 192

nequiquam pinguis palea teret area culmos

et in eodem libro vs. 298

et medio tostas aestu terit area fruges. [1]

Med. 350 sq. de Scylla:

Siculi virgo Pelori
rabidos utero succincta canes.

Cf. Buc. VI. 74 sq.

quid loquar aut Scyllam Nisi, aut quam fama secuta est
candida succinctam latrantibus inguina monstris.

Med. 965 furore commota Medea ait:

sed omnes fige luminibus faces,

ut apud Vergilium Aen. VII. 457 Alecto:

atro
lumine fumantes fixit sub pectore taedas.

Phoen. 141 sqq.

Hoc animo sedet
effundere hanc cum morte luctantem diu
animam et tenebras petere.

Cf. Aen. II. 559 sq.

si nihil ex tanta superis placet urbe relinqui,
et sedet hoc animo,

et Aen. IV. 15

si mihi non animo fixum immotumque sederet.

Agam. 487

non capit sese mare.

Cf. Aen. VII. 466, ubi eadem verba invenies:

nec iam se capit unda; volat vapor ater ad auras.

[1]) Cf. Hor. Sat. I. 1. 45 »milia frumenti tua triverit area centum."

IV.

Tertia huius quaestionis parte ad finem perducta iam eos locos perscrutemur, quibus poeta tragicus Vergilii verba adhibens eodem dicendi genere utitur, atque ita quoque eius imitator extitisse videtur. Quos priusquam profero, paucis monendum est saepe mihi perdifficile fuisse diiudicatu utrum cogitandum esset de imitatione, an de fortuita similitudine. Itaque multa hoc capite invenientur, quae non certa imitationis vestigia exhibent, quaeque etiam apud alios argenteae aetatis poetas extant. Quae omnia tamen non omisi, opinatus etiam multitudinem eiusmodi locorum alicuius esse momenti ad imitationem probandam.

Initium igitur faciam a verbis et circumlocutionibus, quibus horror ac pavor indicantur. Horum magnus apud Vergilium invenitur numerus: Aen. III. 30 *frigidus horror membra quatit;* sic Troad. 632 legitur:

reliquit animus *membra, quatiuntur,* labant,

Agam. 5

en horret animus, et *pavor membra excutit,*

cui dicendi formae proxime accedit quod dicitur Herc. Oet. 1993

quatiet populos *terrore gravi.*

et Oed. 206

horrore quatior.

Cum Vergilii dictione *frigidus horror* conferatur *gelidus horror,* quae verba inveniuntur Troad. 457

mihi gelidus horror ac tremor somnum expulit.

Alia horroris signa apud Vergilium sunt haec: quod aliquis *derigescit* et *calor ossa reliquit* (Aen. III. 308), a quo non longe abest, quod extat Troad. 624

torpet vinctus frigido sanguis gelu;

quod aliquis *obstupescit* (Aen. III. 48, XIII. 868), quod habet poeta tragicus Agam. 508

tenet horror artus, omnis officio *stupet*
navita relicto;

quod *tremor usque ad ima ossa cucurrit.* ut Hom. Il. III. 34 ὑπό τε τρόμος ἔλλαβε γυῖα, Aen. II. 120

obstipuere animi, gelidusque per ima cucurrit
ossa tremor,

ita Herc. fur. 414

gelidus per artus vadit exsangues tremor,

Oed. 659

et ossa et artus gelidus invasit tremor,

Herc. Oet. 706

vagus per artus errat excussos tremor,

ubi sequitur aliud horroris signum: erectus horret crinis, quod apud Vergilium saepius invenitur; cf. imprimis Aen. IV. 280 *arrectae horrore comae,* Aen. II. 774 *obstupui, steteruntque*

comae, Aen. III. 48, Aen. XII. 868, quod item habet Ovidius Metam. VII. 613: *horruerant stabantque comae.* Omnibus his locis in mentem venit Hom. Il. XXIV. 359 ὀρθαὶ δὲ τρίχες ἔσταν.

Denique cum Aen. III. 30 *gelidus coit formidine sanguis* conferatur Oed. 234

torpor insedit per artus, *frigidus sanguis coit,*

ubi eadem prolepsis adiectivi esse videtur.

Troad. 20 haec leguntur:

> diripitur ardens Troia, nec coelum patet
> *undante fumo.*

Fumum undare aliquoties apud Vergilium invenimus imprimisque nobis obversatur descriptio illa Troiae flammis correptae, Aen. II. 609 sq.

> *hic, ubi disiectas moles avulsaque saxis*
> *saxa vides, mixtoque undantem pulvere fumum,*

sic etiam Aen. VIII. 257

> *qua plurimus undam*
> *fumus agit;*

ita *undat ignis* Aen. XII. 673, quo verbo etiam de Aetna utitur: Georg. I. 472

> *videmus undantem ruptis fornacibus Aetnam,*

quocum conferas Silium Italicum IX. 446

> *undantes volvit flammas ad sidera vertex.*

Undare et *unda* de *sanguine* quoque dictum in Vergilii carminibus invenitur ut Aen. X. 908

> *undantique animam diffundit in arma cruore,*

Aen. IX. 700

> *reddit specus atri vulneris undam,* [1])

quocum conferatur Agam. 222

> propone et alto sanguine exundans solum.

Transeamus iam ad ea verba, quibus uterque utitur poeta ad caedem exprimendam, et videamus quae inter utriusque usum dicendi intercedat ratio. Troad. 1001 dicitur reclude ferro pectus, quacum dictione conferatur Aen. X. 601 *tum latebras animae, pectus, mucrone recludit* et Aen. IV. 63

> *pecudumque reclusis*
> *pectoribus inhians spirantia consulit exta.* [2])

Pro dicendi forma *pectus recludere,* invenimus Agam. 305 *aperire pectus* aerumnis grave.

In Agamemnonis mortis descriptione de Aegistho dicitur: Agam. 890

> *haurit* trementi semivir dextra *latus.*

sic quoque Aen. II. 600 Venus Aeneae:

> *non prius aspicies* — — — — — — —
> — — — — — *superet coniuxne Creusa*
> *Ascaniusque puer? quos omnis undique Graiae*
> *circum errant acies et, ni mea cura resistat,*
> *iam flammae tulerint inimicus et hauserit ensis,*

et, quod proxime tragoediae loco accedit, Aen. X. 314

> *per tunicam squalentem auro latus haurit apertum,*

Tum Troad. 1155

---

[1]) *Specus* pro vulnere hianti legitur etiam Thyest. 9.
aut poena Tityi qui *specu vasto patens*
visceribus atras pascit effossis aves.

[2]) Sic quoque Ovid. Metam. VII. 285, Hor. Epod. XVII. 71.

ut dextra ferrum penitus exacta abdidit
conferatur cum Aen. X. 815

validum namque exigit ensem
per medium Aeneas totumque recondit,

quod videmus etiam Thyest. 722

(ast illi ferus) in vulnere ensem abscondit,

et locis iam supra laudatis: Aen. II. 553

lateri capulo tenus abdidit ensem,

et Troad. 48

alto nefandum vulneri ferrum *abdidit.*

Quod attinet ad Troad. 1155, dubito an scribendum sit:

ut dextra ferrum penitus *exactum* abdidit;

nisi fallor enim semper *exigere ferrum, ensem* i. e. *totum, quantus est, adigere,* dicitur, non *dextram.*
Sic in Agamemnone vs. 199 sq. Clytemestra

„per tuum" inquit „si aliter nequit"
„latus exigatur ensis et perimat decus;

Herc. Oet. 745 Deianira exclamat:

eat per artus *ensis exactus* meos;

Lucanus II. 149 habet *ferrum per viscera exigere,*
ita Vergilius Aen. X. 682

an sese mucrone
induat et crudum per costas exigat ensem.

et Aen. X. 815, de quo loco iam egimus.
Ultima syllaba per elisionem sublata, nemo non videt hoc mendum facile oriri potuisse.
Vergilianum *se mucrone induere* (Aen. X. 682) legimus Herc. fur. 1312

letale *ferro pectus* impresso *induam*

et Oed. 341

iuvenca *ferro semet* imposito *induit.*

Tandem horum verborum seriem absolvamus memorando dicendi formam *abrumpere vitam* [1]), quae apud utrumque extat poetam; Troad. 939 enim legimus:

utinam iuberet me quoque interpres deum
abrumpere ense *lucis invisae moras.*

et Aen. IV. 631 de Didone:

invisam quaerens quam primum abrumpere vitam,

ita Herc. Oet. 893

vitam relinques, fataque abrumpes tua,

quibuscum conferatur similis Silii locus, II. 597

abrumpere vitam
ocius attoniti quaerunt lucemque gravantur.

Troad. 620 Ulixes Andromachae dicit:

tibi gratulandum est, misera, quod nato cares,
quem mors manebat saeva *praecipitem datum*
e turre,

quo loco verbo dandi cum adiectivo *praeceps* coniuncto perfectum circumscribitur, ita ut *praecipitem datum* idem sit quod *praecipitatum.* Attamen apud Draegerum, Hist. Synt. I. § 143, haec legimus: „wenn das active Perfect durch das Part. perf. passivi mit habere, reddere, dare und facere umschrieben ist, so wird stets der Erfolg der Thätigkeit hervorgehoben". Multis exemplis allatis, quibus Latini verbo *habendi* hac significatione utuntur, affert vir doctissimus quatuor locos ex Plauto et Terentio sumptos, ubi verbo *dandi* rei effectus

[1]) cf. Graecorum *ἀπορρῆξαι βίον, πνεῦμα.* Eur. Or. 864, al

circumscribitur, quo facto pergit: „Fehlt im klassischen Latein, zeigt sich aber wieder bij Späteren wie Capitol. Pert. II. *suos statim emancipatos dederat.*"

Miror a viro doctissimo mentionem factam non esse de illis verbis *adiectivo* additis, quibus eadem res efficitur neque allatos esse hos versus Vergilii, quorum quidem non potest quin meminerit:

Aen. I. 62 sq.

qui foedere certo
et premere et laxas sciret dare iussus habenas.

Aen. III. 70 *placata dant venti maria.*
Aen. IX. 323 *haec ego vasta dabo.*
Aen. XII. 437 *te mea dextra defensum dabit.*

Passim in Aeneide legitur *haec ubi dicta dedit*, ubi *dicta* fortasse est adiectivum. Sic quoque Livius habet Lib. VIII. 6, *stratas legiones dabo*, ut item *haec ubi dicta dedit* bis apud eum invenitur. Sallustius Iug. 59 habet *hostes victos dare.* Eandem dicendi formam invenimus locis nonnullis apud poetam tragicum:

Phaedr. 629 illum quidem aequi coelites reducem dabunt,
Med. 528 Scythas Pelasgis iunge: demersos dabo,
Herc. Oet. 527 inlitas vestes dabis hac ipsa tabe,
ubi tamen *dabis* etiam verbo *donandi* licet explicare.
Agam. 582 redde placatos deos, i. e. da rursus placatos deos.

Troad. 663 funditus busta eruam hoc habet proprium quod verbum *eruendi* hic idem est quod *evertere*. Apud Classicos tamen significat *effodere*. Sic apud Ciceronem de Or. II. 34. *scrutari locos, ex quibus argumenta eruamus;* Rull.

I. 1. *eruere aliquid ex tenebris.* Habet quoque *memoriam eruere*, sed hoc idem significare videtur quod apud Germanos „das Gedächtniss ausreissen". Sic Plin. N. Hist. XI. 37 *oculos alicui eruere.* Vergilius autem verbo utitur eadem significatione, qua poeta tragicus; Aen. II. 611 enim legitur

totamque a sedibus urbem eruit,

Aen. VI. 839

eruat ille Argos, Agamemnoniasque Mycenas.

Qua in re eum sequitur Tacitus, qui Hist. IV. 72 habet: *Cerialis coloniam Treverorum ingressus est, avido milite eruendae civitatis.* Troad. 685 redit eadem locutio, ubi Ulixes „funditus" ait „cuncta eruam."

Sic Troad. 912 pro *evertere* legitur *vertere.* Ibi enim Andromache exclamat:

prostratum Ilium est,
versi Penates.

Quod redit Agam. 190, ubi Clytemestra de Agamemnone dicit

et post tropaea Troica ac *versum Ilium,*
captae maritus remeat.

Idem invenitur in Aeneide; I. 20 enim legitur:

progenies Tyrias olim quae verteret arces

et Aen. XI. 264

regna Neoptolemi referam, versosque Penates
Idomenei.

Pro *arare* uterque poeta dicit *scindere terram:* Georg I. 50 Vergilius habet: *scindimus ferro aequor,*
Georg I. 399 *terque quaterque solum scindendum,*
Georg. III. 160 *scindere terram.*

Ita poeta tragicus Phoen. 124

quisquis Assyrio loca
possessa regi *scindis.*

Troad. 1021

removete centum,
rura qui *scindunt* opulenta bubus,

quo loco in animo habuisse videtur Aen. VII. 537, ubi Vergilius de Galaeso:

terram vertebat centum aratris.

Agam. 31 legitur *haurire* (auribus), quod idem significat atque *audire:*

non pavidus hausi dicta,

ita Oed. 385 legimus:

voces aure non timida hauriam,

quibuscum conferatur Aen. IV. 359

vocemque his auribus hausi,

Aen. VI. 559

constitit Aeneas, strepitumque exterritus hausit [1]).

Verbum *evolvere* apud utrumque nonnumquam significat *secum meditari, versare animo.* Vergilius enim Georg. IV. 507 de Orpheo:

septem illum totos perhibent ex ordine menses
rupe sub aeria deserti ad Strymonis undam
flevisse, et gelidis haec evolvisse sub austris;

et Agam. 116

tecum ipsa nunc *evolve* femineos dolos,

qua in re comitem habent Silium Italicum, apud quem III. 216 legimus: *promissa evolvit somni, noctemque retractat.*

---

[1]) Altera autem lectio extat: »strepituque exterritus haesit."

Vergilius dicit *remos lentari,* quum nisu remigis, fluctibus obluctantis, paullulum flectuntur, vel incurvantur: Aen. III. 384

ante et Trinacria lentandus remus in unda [1]).

Idem in Agamemnone invenies vs. 435

properat iuventus omnis adductos simul
lentare remos.

Herc. fur. 365 ager dicitur *squalere:*

tum vastis ager
squalebit arvis,

quocum conferatur Vergilius in Georgicis I. 507

squalent abductis arva colonis,

et Silius Italicus, qui III. 655 habet *campi squalentes.*

In eadem tragoedia vs. 790 videmus verbum *subrigere* usurpatum pro eo, quod usitatius est, *arrigere.*

De Cerbero enim dicitur:

missum captat *aure subrecta* sonum;

sic *aures subrigere* invenitur Aen. IV. 183, ubi de Fama:

tot linguae, totidem ora sonant, tot subrigit aures

et Herc. fur. 392

quin ipse torvum *subrigens crista* caput.

Senec. de Ira I. 1. *horrent et subriguntur capilli.*

Sed eandem dicendi formam invenies apud Statium, Theb. II. 27

Cerberus omnes capitum subrexit hiatus,

et saepius apud Plinium, ut N. H. X. 29.

Herc. fur. 631

---

[1]) Cum Vergilii loco Forbiger componit Catull. 62. 183: »qui fugit *lentos* incurvans gurgite *remos.*"

licuit versare dolos,

quae dicendi forma respondet Graecorum locutioni *κέρδεα νωμᾶν*, conferatur cum Aen. II. 62 sq., ubi eadem verba invenimus

in utrumque paratus
seu versare dolos, seu certae occumbere morti

et Aen. XI. 704

consilio versare dolos ingressus et astu
incipit haec.

Similiter Valerius Flaccus dicit II. 568 *volutare* et I. 292 *dolos movere.*

Herc. fur. 896 sq. de Lyco, humi prostrato, dicitur

ultrice dextra fusus adverso Lycus
terram cecidit ore,

qua locutione Vergilius utitur Aen. X. 403 sq.

curruque volutus
caedit semianimus Rutulorum calcibus arva.

Sic quoque Horatius habet Od. II. 7 *turpe solum tetigere mento;* et Aen. X. 730 Acron dicitur *calcibus tundere humum.* Pro *se prosternere* uterque poeta dicit *terram petere.* In Oedipode tragoedia, vs. 480, de iis, qui ad Bacchi pedes procumbunt, dicitur:

ore deiecto petiere terram

et Aen. III. 93, ubi Aeneas narrat se templum Apollinis intrasse et deum adorasse:

submissi petimus terram,

quod Forbigero auctore ex Lucretio petivit, qui I. 93 de Iphigenia immolanda:

muta metu terram genibus submissa petebat.

Apud utrumque *stare* saepius idem est quod *incolumem esse.* Troad. 31 Hecuba ait:

(testor) tuos manes, quo stetit stante Ilium;

Thyest. 22 Tantali umbra:

numquam stante Pelopea domo
Minos vacabit;

Herc. Oet. 353 Deianirae nutrix de Hercule:

dilexit Iolen, nempe dum staret parens
regisque natam peteret,

quibuscum locis conferantur Aen. I. 268

Ilus erat, dum res stetit Ilia regno,

Aen. II. 88

dum stabat regno incolumis,

Georg. IV. 208

multos per annos
stat fortuna domus.

Denique conferantur hi loci:

Thyest. 682

immugit specus
vocem deo solvente,

Aen. III. 456

quin adeas vatem, precibusque oracula poscas,
ipsa canat, vocemque volens atque ora resolvat,

Georg. IV. 452

et graviter frendens sic fatis ora resolvat,

Aen. II. 246

tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris
ora dei iussu non umquan credita Teucris. [1])

[1]) cf. Troad. 37, ubi de Cassandra:
quaecumque Phoebas ore lymphato furens,
credi deo vetante, praedixit mala.

Med. 54

rumpe iam segnes moras.

Cf. Georg. III. 43

en age, segnes rumpe moras.

Rumpere moras locutio est satis frequens apud Vergilium et qui eum imitantur:

Aen. IV. 659

heia, age, rumpe moras,

Aen. IV. 13

rumpe moras omnes,

Ovid. Metam. XV. 583

tu modo rumpe moras,

Val. Flacc. I. 306

age, rumpe moras,

Sil. VIII. 215

heia age, segnes
rumpe moras.

Sic quoque Troad. 681

rumpe fatorum moras,

Phaedr. 1102

pariter moram
dominumque rumpunt.

Idem valet de locutione *moras nectere:*

Herc. Oet. 10

quid tamen nectis moras,

Aen. IV. 51

causas innecte morandi,

Stat. Theb. V. 743

plures moras innectere.

Sic Phoen. 120 sq.

ubi sedet alta rupe semifero dolos
Sphinx ore nectens,

Troad. 927 sq.

fare quos Ithăcus dolos
quae scelera nectat,

Troad. 523

nectit pectore astus callidos,

Aen. IX. 219

nectisque nequidquam causas inanes.

Sic Val. Flacc. III. 374

an sibi nectunt
corda moras;

Liv. XXVII. 28

ne cui dolus necteretur a Poena metuens;

Tac. Ann. XII. 14

ceterum Gotarzes ..... flumine Corma pro munimento uti, et ..... nectere moras.

Med. 405

numquam meus *cessabit* in poenas furor.

Cessare in poenas pro *dubitare poenas repetere* eadem dicendi forma est atque Aen. VI. 51, ubi pro *dubitare vota facere* dicitur:

cessas in vota precesque,
Tros, ait, Aenea?

Med. 650

ite nunc fortes; *perarate* pontum.

Sic *arare* pro *secare flumina* Aen. II. 780

longa tibi exilia et vastum maris aequor arandum;

ita Agam. 440 invenitur verbum *sulcare* hac significatione usurpatum:

sulcata vibrant aequora et latera increpant,

quocum conferatur Aen. V. 158

longa sulcant vada salsa carina.

Phoen. 389

aera iam *bellum cient.*

Sic *bellum ciere:*

Aen. I. 541

bella cient primaque vetant consistere terra,

Aen. IX. 766 sq.

ignaros deinde in muris Martemque cientes
Alcandrumque Haliumque Noemonaque Prytanimque,

Aen. V. 584

pugnaeque cient simulacra.

Hanc locutionem usurpant Vergilii imitatores Veleius Paterculus [1]), Livius [2]), Tacitus [3]).

Troad. 447

nec *caede* multa qualis in Danaos *furens.*

Cf. Aen. II. 499 sq.

vidi ipse furentem
caede Neoptolemum.

Sic Phoen. 484

furere si bello placet,

---

[1]) I. 2, II. 54 [2]) V. 37. [3]) Hist. III. 41.

Herc. fur. 416 sq.

cum pace rupta bellicus muros fragor
circumsonaret.

Cf. Aen. VIII. 474

hinc Rutulus premit et murum circumsonat armis;

sed ita Ovid. Trist. IV. 10. 111

hic ego finitimis quamvis circumsonor armis.

Trist. V. 3. 11

nunc procul a patria Geticis circumsonor armis.

Troad. 451

tum *quassans caput,* [1])
dispelle somnos, inquit, et natum eripe.

Sic quoque Aen. VII. 292

tum, quassans caput, haec effundit pectore dicta,

Aen. XII. 894 sq.

ille capui quassans, non me tua fervida terrent
dicta, ferox,

et ante Vergilium Lucretius II. 1165

iamque caput quassans grandis suspirat arator.

Oed. 996

duce non ullo *molitur iter.*

Sic pro *viam rumpere* Aen. 477

inde datum molitur iter,

Aen. X. 477

(hasta) viam clipei molita per oras.

---

[1]) cf. Hom. Od. V. 285 κινήσας δὲ κάρη al

Herc. fur. 167 sq.

hic nullo fine beatas
componit opes,

quibuscum conferatur Aen. VIII. 317

nec iungere tauros
aut componere opes norant.

Habemus igitur numerum non ita parvum verborum quae cum Vergilii locutione conspirant.

Horum magna pars nisi apud Vergilium non invenitur, aut apud eos poetas, qui huius imitatores dicuntur, Ovidium, Valerium, Silium, Statium et historiae scriptores Velleium, Livium, Tacitum, in quorum libris multa Vergilianae linguae vestigia extare constat. Non igitur sine aliqua veri specie statuere mihi videor, licet res non semper sit certa, poetam tragicum in his verbis adhibendis Vergilii auctoritatem secutum esse.

Hac verborum serie examinata reliquum iam est ut ad ceteras dicendi formas progrediar, quae et apud Vergilium et apud tragicum poetam leguntur; ac primum quidem ad Troadum tragoediam nos convertamus, ubi vs. 124 Hector vocatur:

columen patriae *mora fatorum.*

Sic quoque Aen. X. 428 Abantem vocat Vergilius

pugnae nodumque moramque;

eadem verba coniuncta videmus Phoen. 94, ubi Iocaste filios alloquitur:

media se opponit parens:
proinde bellum tollite aut *belli moram*,

et Agam. 208

non sola Danais Hector et *bello mora.*

Haec locutio autem invenitur Stat. Theb. I. 142 *haec mora pugnae sola;* Sil. I. 479 *Romani Murrus belli mora;* et loco, qui tragoediarum versibus est simillimus, Senec. Suas. II. 19 *belli mora concidit Hector.*

Troad. 668 sq. fuerat hoc prorsus nefas
Danais *inausum*,

et Thyest. 20

me innocentem faciat et *inausa* audeat;

sic *inausum* passive usurpat Vergilius Aen. VII. 308 sqq.

ast ego, magna Iovis coniux, nil linquere inausum
quae potui infelix — — — — — — — — — —
vincor ab Aenea,

Aen. VIII. 205

ne quid inausum fuisset.

Item Vergilii imitatores Valerius Flaccus [1]) et Tacitus [2]).

Troad. 1072 sq.

cum metu versos gravi
Danaos fugaret Hector et *ferro et face.*

Ferro et face pro *ferro ignique* item dicit Vergilius Aen. IV. 626

qui face Dardanios ferroque sequare colonos.

Agam. 8 in descriptione regiae:

hinc auspicari regium *capiti decus*
mos est Pelasgis.

Verba *regium capiti decus*, quae redeunt Herc. fur. 217, Thyest. 701, inveniuntur Aen. X. 134 sq.

qualis gemma micat, fulvum quae dividit aurum
aut collo decus aut capiti.

---

[1]) Val. Flacc. I. 807. [2]) Tac. Ann. I. 42.

Agam. 443

posuere *tonsas.*

Sic *tonsae* pro *remis* Aen. VII. 27

luctantur in marmore tonsae,

Aen. X. 299

socii consurgere tonsis,

quod tamen iam apud Ennium [1]) invenitur et Lucretium [2]) neque aliter dixerunt Valerius Flaccus [3]) et Silius Italicus [4]).

Paulo infra in eadem procellae descriptione, Agam. 572, leguntur haec:

has inopes undae brevia comminuunt vada,

qua dicendi forma utitur Vergilius Aen. V. 221 sq.

et primum scopulo luctantem deserit alto
Sergestem brevibusque vadis frustraque vocantem;

ita dicit *brevia,* quod idem esse videtur ac Graecorum locutio **τὰ βραχέα,** Aen. I. 110 sq.

tres Eurus ab alto
in brevia et Syrtes urguet,

qua in re eum sequitur Tacitus, qui Ann. I. 70 habet: *non discerni poterant incerta ab solidis, brevia a profundis.*

Herc. fur. 101 sq. de tribus Furiis dicitur:

agmen horrendum anguibus
Megara ducat;

ita *agmen* Eumenidum invenitur Aen. IV. 469

Eumenidum veluti demens vidit agmina Pentheus.

---

[1]) Enn. Ann. VII. p. 6—8 (Vahlen). [2]) Lucret. II. 554.
[3]) Val. Flacc. I. 369. [4]) Sil. XI. 491.

Hac in re comitem habet Valerium Flaccum [1]).

Herc. fur. 548 de via ad inferos:

audax ire vias *irremeabiles;*

ita Vergilius de Styge: Aen VI. 425

evaditque celer ripam irremeabilis undae

et Aen. V. 591, ubi, loquens de Labyrintho, hanc dicit

ancipitem
mille viis habuisse dolum qua signa sequendi
falleret indeprensus et *irremeabilis error.*

Silius Italicus habet *irremeabile litus* [2]).

Herc. fur. 848 sq. *senectus* dicitur *tarda*:

pars *tarda* gradiens *senecta*
tristis et longa satiata vita;

sic quoque Aen. IX. 610

— — — — *nec tarda senectus*
debilitat vires,

et Aen. V. 395

gelidus tardante senecta
sanguis hebet.

Sed ita Ovid. Trist. IV. 8. 23

— — — — *tarda vires minuente senecta,*

Horat. Sat. II. 2. 88

seu
dura valetudo inciderit, seu tarda senectus.

Herc. fur. 1058 sq.

qui *per terras*
tractusque maris fundis radios.

Buc. IV. 51 eodem modo haec verba coniuncta sunt:

terrasque tractusque maris caelumque
(profundum.

---

[1]) Val. Flacc. VII. 147 II. 227. [2]) Sil. V. 41.

Herc. fur. 1324 sq.

quis Tanais aut quis Nilus aut quis Persica
violentus unda Tigris aut Rhenus ferox;

etiamsi de vento, non de flumine locutione *violentus aqua* utitur Vergilius, tamen notandum videtur Aen. VI. 356 sq. eum sic scripsisse:

tres Notus hibernas immensa per aequora noctes
vexit me violentus aqua.

Tum mortuos uterque poeta vocat *silentes*, qua quidem in re comites habent Ovidium [1]) et Valerium Flaccum [2]):

Herc. Oet. 22 sqq. Hercules ait:

vidi *silentum* fata nec tantum redi,
sed trepidus atrum Cerberum vidit dies,
et ille solem.

Aen. VI. 432 sq.

ille silentum
conciliumque vocat, vitasque et crimina discit;

ita Med. 740

comprecor vulgus *silentum*

et Phaedr. 221 Orcus vocatur *domus silens.*

Aliis locis uterque poeta *homines privatos vita* vocat *luce cassos* ut Troad. 603 de Hectore:

luce cassus inter extinctos iacet,

et Aen. II. 85

nunc cassum lumine lugent [3]).

[1]) Ovid. Metam. XV. 772 »sedes intrare silentum.''
[2]) Val. Flacc. I. 750.
[3]) Cf. Lucret. V. 518.

Cassus enim significat aut *vanus, inanis* ut Aen. XII. 780 *cassa vota,* 570 *cassa concilia,* ib. 679 *cassus furor,* ib. 793 *cassa praesidia;* aut *orbatus aliqua re* ut Aen. XI. 104 *aethere cassus.* Proxime accedit quod legitur Georg. IV. 255 sq.

tum corpora luce carentum
exportant tectis,

quae forma dicendi in Oedipodis tragoedia usurpatur de Orco vs. 254 sqq.

quique ventorum potens
aequor per altum caerulos currus agis
et qui *carentes luce* disponis *domos,*
adeste.

Herc. Oet. 209 sq. Iole de patre ab Hercule occiso dicit:

stipite pulsus *tota* iacuit
sparsus in *aula;*

sic quoque Cerberi forma indicatur a Vergilio Aen. VI. 423

toto ingens extenditur antro.

In eadem tragoedia vs. 1271 sq. Hercules exclamat:

prima et *ante* omnes mihi
fletum abstulisti,

quibuscum conferatur Aen. II. 41 sq.

primus ibi ante omnes, magna comitante caterva,
Laocoon ardens summa decurrit ab arce.

Thyest. 74 sq.

quisquis *exeso* iaces
pavidus sub *antro,*

Phoen. 359

latebo *rupis exesae* cavo,

Herc. fur. 460

non latuit infans *rupis exesae* specu?

His omnibus locis *exesa rupes* ponitur pro *vili et ignobili antro,* quae dicendi forma saepius apud Vergilium invenitur, ut Aen. VIII. 417 sq.

Cyclopum exesa caminis
antra Aetnaea tonant,

Georg. IV. 419 *exesus mons;* sic quoque Georg. IV. 44 *exesae arboris antrum.*

Tum notandum est utrumque poetam de fluminibus locutum saepius uti verbo torquendi, ubi significare volunt arenam vel saxa undarum vi corripi. Sic Thyest. 1017 sq.

et ardenti freto
Phlegeton *arenas* igneus *tortas* agens,

Georg. III. 359

torquens flaventes Ister arenas,

ibid. 254

flumina correptos unda torquentia montes,

Aen. VI. 550 sq.

quae rapidus flammis ambit torrentibus amnis
Tartareus Phlegeton torquetque sonantia saxa.

Item de *vertice ipso* dicitur Phoen. 116

ubi *torta* rapidus ducat Ismenos *vada,*

Aen. VII. 567

dat sonitum vadis et torto vertice torrens.

Denique, ut haec verborum series claudatur, conferantur hi loci:

Med. 311 sq.

nondum *pluvias*
Hyadas poterant vitare rates;

Aen. I. 744

Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosque Triones.

Med. 157

libet *ire contra;*

Aen. VI. 95

tu ne cede malis, at contra audentior ito [1].

Med. 714 sq.

quodcumque tellus vere nidifico creat
aut rigida quum iam bruma *decussit decus;*

Georg. II. 404

frigidus et silvis Aquilo decussit honorem.

Med. 834 sq.

donisque meis *semina flammae*
condita serva;

Aen. VI. 6

quaerit pars semina flammae. [2]

Med. 942 sq.

haud aliter meum
cor fluctuatur;

[1]) *Contra ire* invenitur Senec. Ep. 59 »interritus *contra* illa *ibit.*"

[2]) *Semina flammae* habet Ovidius, Metam. XV. 347.

Aen. I. 399

haud aliter puppesque tuae pubesque tuorum.

Cf. Aen. IX. 65, al.

Phoen. 86 sq.

— — — — noctem afferet
Phoebea lampas.

Phoebea lampas pro *sole* ut Aen. III. 639 sqq.

telo lumen terebramus acuto
ingens, quod torva solum sub fronte latebat
Argolici clipei aut Phoebeae lampadis instar,

Aen. IV. 6

postera Phoebea lustrabat lampade terras.

Phoen. 349

auctor *placidae pacis* liberis veni;

Aen. I. 253, ubi eodem pleonasmo dicitur:

nunc placida compostus pace quiescit.

Phoen. 641 sq.

infaustas age
dimitte pugnas.

Dimitte pugnas pro *desine pugnare* ut Aen. XI. 706

dimitte fugam [1]).

Phaedr. 809

si dorso libeat *cornipedis* vehi;

Aen. VI. 590 sq.

demens? qui nimbos et non imitabile fulmen
aere et cornipedum pulsu simularet equorum.

[1]) Val. Flacc. VIII. 105. »dimittere moras."

Absolute tamen pro *equo* usurpatur a Silio [1]), apud quem etiam Panis [2]), ut apud Ovidium [3]) Fauni, est epitheton.

Agam. 639 sqq.

Hinc *aequaevi* gregis Astyanax,
hinc Haemonio desponsa rogo
ducunt turmas;

Aen. II. 561 sqq., ubi Aeneas dicit Priamum *aequaevum* Anchisae,

subiit cari genitoris imago,
ut regem aequaevum crudeli vulnere vidi
vitam exhalantem.

De inanimis legitur idem apud Plinium [4]).

Agam. 187

nec *rapere* puduit e sinu *avulsam* viri;

Aen. X. 660, ubi eadem verba eodem modo coniuncta sunt, quamquam alia in re,

avulsamque rapit revoluta per aequora navem.

Herc. fur. 438

quo patre genitus coelitum *speret domum;*

Georg. IV. 325

quid me coelum sperare iubebas.

Herc. Oet. 1077

excussit *rabidam* sitim;

[1]) Sil. VII. 684. [2]) Sil. XIII. 338. [3]) Ovid. Fast. II. 361.
[4]) Plin. Nat. Hist. XVI. 44. 80.

Aen. VI. 421

ille fame r a b i d a tria guttura pandens.

Phaedr. 955 sq.

n u n c a t r a v e n t i s n u b i l a i m p e l l e n t i b u s
s u b t e x e r e n o c t e m,

et Phoen. 422

a t r a n u b e *s u b t e x e n s d i e m* S t y m p h a l i s;

Aen. III. 581 sq.

intremere omnem
murmure Trinacriam et c a e l u m s u b t e x e r e f u m o.

Forbigero auctore Vergilius Lucretium est secutus, qui V. 466 habet *subtexunt nubila caelum.*

Item Valerius Flaccus [1]), Statius [2]), Lucanus [3]), apud quem legitur *ferro subtexitur aether.*

Thyest. 519

p o n a t u r *o m n i s i r a,* e t e x a n i m o *t u m o r*
e r a s u s a b e a t.

Simili pleonasme *tumor* et *ira* coniunguntur Aen. VIII. 40 sq.

t u m o r o m n i s e t i r a e
concessere deum.

Sed iam satis longum iter emensi finem tandem imponamus huic opusculo atque ea, quae dispersa multis locis singillatim exposuimus, iam congregata lectorum oculis subiiciamus. Capite primo igitur vidimus permultos locos in tragoediis extare, in

¹) Val. Flacc. V. 414. ²) Stat. Silv. I. 127. ³) Lucan VII. 519.

quibus conscribendis poeta ad Vergilii exemplum se composuerit. Qua in re tamen plerumque ita versatus est ut aliquid de suo adderet, saepe etiam multo cum verborum tumore id quod ex Aeneide vel Georgicis petivisset, exornare studeret. Lucidissime hoc patet Troad. 439—460, ubi Hector apparet Andromachae, Herc. fur. 658 sqq., quibus versibus Herculis ad inferos descensus describitur, et regiae descriptione, Thyest. 641—664. Haud aliter res sese habet in imaginibus, quas ubi recepit saepe aliquid omisit vel addidit, ita tamen ut facile nobis persuadeamus poetam imitatum vel aemulatum esse Vergilium, non ex suo ingenio hausisse. Nonnumquam eundem Vergilii locum bis expressit [cf. Aen. II. 224. sqq., Herc. Oet. 798 sqq., Agam. 777 sqq.] vel duas imagines coniunxit [cf. Herc. fur. 1046 sqq., Aen II. 626 sqq., Aen. IX. 708 sqq.] Quod igitur attinet ad res, idem fecit, quod illi poetae, quos Vergilium secutos esse certo constat, Ovidius, Valerius, Silius, Statius. In locutionibus vero Vergilianus adhibendis aliam imitandi rationem secutus est. Metra non sunt eadem, ideoque haud ita saepe versus similiter exeuntes apud utrumque inveniuntur, neque eadem verba eadem ratione coniuncta. Sic non versus integros ex Aeneide petivit quod fecit Ovidius, ubi enumerat homines interfectos, Metam. XIII. 258

Alcandrumque Haliumque Noemonaque Prytanimque,

quem versum habet Vergilius, Aen. IX. 767 [1]). Ubique locorum autem in tragoediis deprehendimus res, in quibus enarrandis uterque poeta utitur iisdem verbis, epitheta, quae nisi Vergilius nemo habet,locutiones ex Aeneide, Georgicis, Bucolicis notissimas. Quae omnia, opinor, manifesto ostendunt quantopere

¹) Cf. Hom. Il. V. 678.

poeta tragicus carminum Vergilianorum lectione fuerit imbutus. Non tamen ut iam supra dixi, omnibus locis, quos hoc libello collegi, imitationem certam et exploratam puto, immo haud pauca capite quarto me dedisse probe scio, quae apud alios quoque poetas inveniuntur et quae possunt esse fortuita. Quia vero eiusmodi locorum enumeratione facile ostenditur quam prope stet poeta a Vergilio atque aliis, argenteae maxime aetatis, scriptoribus, illa enumeravi atque ita quoque aliquid afferre conatus sum ad id quod mihi proposueram ut inquirerem quatenus et quo modo tragoediarum auctor pendeat ex Vergilio. Qua inquisitione spero fore ut iam paulo lucidius appareat quantopere poetae Latini Vergilium sint imitati quaque gratia ille apud Romanos floruerit.

APPENDIX.

Troad. 632 sq.

Utinam timerem. Solitus ex longo est metus.
Dediscit animus † sicre quod didicit diu.

Sic codex Etruscus, ceteri habent pro *sicre sero*. Leo scripsit *saepe*. Birt (Mus. Rhen. XXXIV, pag. 540) pro argumento afferens litteras *i* et *a* in codice E. non bene distinctas et saepius confusas esse, coniecit:

dediscit animus *facere* quod didicit diu,

quibus haec addidit: „das einzige was in einer so allgemein gehaltenen Sentenz etwa noch hinzu kommen konnte, ist ein Verbalbegriff, das *timere* aufnehmend." Equidem credo viros doctos hunc locum non bene intellexisse. Quid enim sibi vult his versibus poeta tragicus? Andromache respicit et trepidat (vide vers. 631), quae sunt certissima signa timoris, itaque *se timere* non potest *negare*, sed *explicare causam*. Pro *sicre* igitur scribendum censeo *aegre*, ita ut dicat:

dediscit animus *aegre* quod didicit diu.

In *sicre s* per dittographiam videtur orta ex ultima littera v. „animus".

Graviore mendo laborat versus 632; sententia enim requirit ut Andromache dicat „*quare non timerem,*" itaque commendo, sed dubitanter, quia res mihi non satis constat:

quidni timerem? Solitus ex longo est metus.

Mendum enim ortum esse videtur ex sequentis versus prava lectione:

dediscit animus *sero,* quod didicit diu.

Troad. 739 sqq.

Has, has ruinas urbis in cinerem datae
hic excitabit, hae manus Troiam erigent?
nullas habet spes Troia, si tales habet;
non sic iacemus Troes, ut cuiquam metus
possimus esse. Spiritus genitor *facit?*
sed nempe tractus.

Miror neminem, quantum scio, haesisse in verbis „*spiritus genitor facit*". Non enim tempus praesentis desideratur sed futuri. Danais est metuendus non Astyanax puer, sed postea quum adoleverit, itaque in prioribus versibus Andromache locuta est tempore futuro. Vs. 559 Ulixes, *magna,* inquit, *res Danaos movet: futurus Hector,* et vs. 737 sq.

magis Pelasgae me tamen matres movent,
quarum iste magnos crescit in luctus puer.

Velim igitur: *spiritus genitor d a b i t,* quam formam dicendi invenies supra vs. 268 sq.

sed fregit illos *spiritus* haec, quae *dare*
potuisset aliis causa, fortunae favor.

Troad. 778 sqq.

Genetricis o spes vana, cui demens ego
laudes parentis bellicas, annos avi
medios precabar, vota destituit deus.

Sic Codd. Leo autem pro *medios* coniecit *toties.* Haec coniectura mihi reicienda videtur, quippe qua loci sententia et symmetria disturbentur. Hoc loco poeta tragicus non loquitur de *longa vita Priami* sed de *beata et felici,* quod patet ex iis, quae sequuntur: vs. 771 sqq.

Iliaca non tu sceptra regali potens
gestabis aula, iura nec populis dabis,
victasque gentes sub tuum mittes iugum,

quae omnia ad Priami vitam spectant, et

non Graia caedes terga, non Pyrrhum trahes,

quibus verbis Hectorem respexisse videtur poeta. Itaque Andromache exclamat: O, mi fili, cui precabar fortitudinem patris, avi aetatem mediam, i. e. florentem opibus, regno, liberis, non opto eius senectutem, quum puer Herculis esset captivus; qua de re ipsa loquitur vs. 718 sqq.

vidit pueri regis lacrimas
et Troia prior, parvusque minas
trucis Alcidae flexit Priamus.

Quae quum ita sint, hic locus emendationem non requirere mihi videtur.

Accedit quod vox *toties* forma non ita similis est voci *medios.*

Troad. 792. sq.

ANDR. I, vade liber, liberos Troas vide.
ASTYAN. *miserere mater.* ANDR. quid meos retines sinus?

Nominibus „Astyanax" et „Andromache" sublatis malim:

I, vade liber, liberos Troas vide
liberque patrem. Quid meos retines sinus
manusque matris?

Miror enim Astyanactem, de quo per totam tragoediam agitur, non nisi duo verba loqui eaque tam parvi momenti; quae res fecit ut etiam Gronovius deleret haec nomina. Sic quoque Peiper et Richter scripserunt:

I, vade liber, liberos Troas vide —
miserere mater — quid meos retines sinus?

Verba *miserere mater* secum loqui putanda est Andromache. At alia res facit ut hunc locum suspectum habeam. Andromache enim, uxor amantissima, non mentionem facit de Hectore, cuius alibi semper meminit et qui hic aegre desideratur, ubi *mater* alloquitur *filium*. Quod si fecerit, maior vis accedet verbis, quae sequuntur: „quid *meos* retines sinus, manusque *matris*." Accedit quod verbis *miserere matris* iam supra bis usus est poeta vs. 702, 705.

Agam. 273. sq.

Ignovit Helenae: iuncta Menelao redit,
quae Europam et Asiam paribus afflixit malis.

Ad verba *ignovit Helenae* desideratur subiectum *Menelaus*, quod omitti non potest, quum in prioribus versibus de illo non sermo fuerit, sed de iure regum in coniuges suas. Agamemnonem his verbis non intellegendum esse patet ex iis, quae respondet Aegisthus:

sed nulla Atriden venere furtivo abstulit,
nec cepit animum coniugi obstrictum suae.

Scribendum igitur censeo

Ignotumst Helenae: iuncta Menelao redit.

Ignotum est Helenae quo iure utantur reges in coniuges suas. Aegisthum enim refellere conatur Clytemestra, qui vs. 270 dixit de regibus: *nobis maligni iudices, aequi sibi.*

Herc. Oet. 725 sqq.

Medios in ignes solis eieceram facem,
quo tincta fuerat palla vestisque illita:
abiectus horret sanguis et Phoebi comam
tepefactus astris vix quoque est monstrum eloquor.

Hic locus omni sensu caret. Leo collatis Soph. Trach. 672 sqq. et infra vs. 732 coniecit:

medios in ignes vellus eieci madens.

Leviore tamen emendatione hic versus sanari potest, si pro *facem* scribitur *tabum*; quod si factum erit, etiam verba, quae sequuntur *quo tincta fuerat palla*, sensum recipient. Ut *tabem* ita *tabum* in tragoediis usurpari probatur vs. 520:

tabum fluente vulneris dextra excipit.

Verba quoque *vestisque illita* mihi sunt suspecta, quum iis idem dicatur, quod in initio huius versus. Scribe igitur *velleri illitum*, qua emendatione explicatur vs. 735 *sic languet omne vellus*. Denique cum ; censeo legendum *Phoebi coma*, cum *A ardet* pro *astris*, ita ut restituatur:

medios in ignes solis eieceram *tabum*
quo tincta fuerat palla, *velleri inlitum;*
abiectus horret sanguis et *Phoebi coma*
tepefactus ardet, tumque (vix monstrum eloquor),

recepta Leonis coniectura, qui pro *vix quoque est* commendat *tumque vix.*

Herc. Oet. 812 sqq.

Dumque *tremibundum manu*
tenuit cadaver: hac manu, hac, inquit, ferar,
o fata, victus?

Haec codicum lectio ideo reiicienda mihi videtur quod adiectivum *tremibundus* non apte coniungitur cum substantivo *cadaver*. Accedit quod duobus versibus ante eadem clausula *tremibunda manu* invenitur, unde mendum videtur ortum esse. Leo coniecit *semianimum parens*, audacius sane, quum his verbis nihil sit commune cum codicum scriptura et vox *manu* non omitti possit ob vs. 813 *hac manu, hac, inquit, ferar*. Commendo igitur:

dumque *furibundus manu*
tenuit cadaver.

Herc. Oet. 1003 sq.

Quaenam ista torquens angue † *vipereo* comam
temporibus aptas squalidis pinnas quatit.

Ita codices omnes, nisi quod Etruscus habet „angui". N. Heinsius (advers. pag. 411) legi vult *igne vipereo*. Peiper *angue vibrato*. Nisi tamen attributo *vipereo* verbo *angue* addito species anguis indicatur, cuius quidem usus exempla nulla inveni, legere velim

quaenam ista torquens *angue caeruleo* comam,

collato Georg. IV. 482, ubi de Furiis:

caeruleo(*que*) implexae crinibus angue
Eumenides.

Herc. Oet. 1047 sqq.

Aut si qua aera pervolat
auditis vaga cantibus
ales *deficiens* cadit.

Nescio quid sibi velit illud *deficiens:* cantus suavitate capta

avis appropinquat ei, qui cantat, nec causa est cur resistat, quia *vaga* pervolat aera. Commendo igitur *despiciens*, quod est avis cupientis Orpheum audire canentem et intentis in eum oculis devolantis, ut Verg. Aen. I. 396 sq.

nunc terras ordine longo
aut capere aut captas iam *despectare* videntur;

et Ovid. Metam. IV. 623

ex alto aethere longe
despectat terras.

Herc. Oet. 1079 sqq..

Sic quum *inquirens* inferos
Orpheus carmina funderet,
et vinci lapis improbus
et vatem potuit sequi,
consumptos iterum deae
supplent Eurydices colus.

Dubium non est, quin mendum hic lateat. Narratur enim his versibus Orphei descensus ad inferos ut Eurydicen vitae reddat. Haec igitur est res, de qua agitur et mirum videtur eam aliis rebus subiungi; accedit quod tempus praesentis *supplent* non recte coniungitur cum imperfecto *funderet*; itaque Gronovius pro *funderet funditat* legi iussit.

Leo coniecit:

sic quum *novit et* inferos
Orpheus carmina figere
et vinci e. q. s.

ut apodosis inciperet a *consumptos*, sed ita et tempora et res minus apte inter se cohaerere videntur. Equidem commendo:

sic quum *in leves* inferos
Orpheus carmina funditat —

ut vinci lapis improbus
et vatem potuit sequi —
consumptos iterum deae
supplent Eurydices colus,

collatis Oed. 562, ubi de *levibus umbris* et Agam. 757, ubi de *levi turba Phrygum* loquitur poeta.

Herc. Oet. 1858 sqq.

et una funeri tanto sat es,
grandaeva anus *defecta, quam* totus brevi
iam quaeret orbis.

Verba „quam totus brevi iam quaeret orbis" omni sensu carent, itaque Leo coniecit:

iam totus brevi
concurret orbis.

N. Heinsius legit *sequetur orbis* (adv. pag. 319), qua coniectura versus sane aliquem sensum recipient, attamen satis frigidum et ieiunum. Malim igitur

et una funeri tanto sat es,
grandaeva anus, *defuncti, quem* totus brevi
iam quaeret orbis,

i. e. tu, grandaeva anus, una sufficis funeri viri defuncti, quem brevi quaeret quidquid est in orbe terrarum. Hercule enim sublato nova monstra terram vastabunt, hominesque terrebunt et vexabunt. Ita magis perspicuum fit vv. *funeri tanto* et *una Alcmene* inter se opposita esse.

THESES.

THESES.

I.

Eurip. Alc. 911 sqq.

Ὦ σχῆμα δόμων, πῶς εἰσέλθω;
πῶς δ'οἰκήσω μεταπίπτοντος
δαίμονος;

μεταπίπτοντος mutetur in *μεταπεπτῶτος*.

II.

Sophocl. Antig. 349 sqq. (Ed. Nauck)

κρατεῖ δὲ μηχαναῖς ἀγραύλου
θηρὸς ὀρεσσιβάτα, λασιαύχενά θ'
ἵππον ἀέξεται ἀμφὶ λόφον ζυγὸν, οὔρειόν τ' ἀκμῆτα ταῦρον.

Pro *ἀμφὶ λόφον* legatur *ἀμφιβαλών*.

III.

Thucyd. I. 28

οἱ δὲ Κορίνθιοι ἀπεκρίναντο αὐτοῖς, ἢν τάς τε ναῦς καὶ τοὺς βαρβάρους ἀπ' Ἐπιδάμνου ἀπαγάγωσι, βουλεύσεσθαι· πρότερον δὲ οὐ καλῶς ἔχειν [τοὺς μὲν πολιορκεῖσθαι, αὐτοὺς δὲ δικάζεσθαι].

Verba uncinis inclusa expungantur.

IV.

Thucyd. V. 68

Ἄγιν ἐν μεγαλῃ αἰτίᾳ εἶχον οὐ χειρωσάμενον σφίσιν Ἄργος, παρασχὸν καλῶς ὡς οὔπω πρότερον [αὐτοὶ ἐνόμιζον].

Quae uncis inclusi eiciantur.

V.

Herod. I. 51

φασὶ δέ μιν Δελφοὶ Θεοδώρου τοῦ Σαμίου ἔργον εἶναι, καὶ ἐγὼ δοκέω· οὐ γὰρ τὸ συντυχὸν φαίνεταί μοι ἔργον εἶναι.

Pro *τὸ συντυχόν* scribendum est *τοῦ συντυχόντος.*

VI.

Herod. III. 64

τρωματισθεὶς δὲ κατὰ τοῦτο, τῇ αὐτὸς πρότερον τὸν Ἆπιν ἔπληξε, ὥς οἱ καιρίῃ ἔδοξε τετύφθαι, εἴρετο ὁ Καμβύσης ὅτι τῇ πόλι οὔνομα εἴη.

Praestat *κατὰ τὠυτό.*

VII.

Xenoph. Memor. I. 1. 6

τὰ μὲν γὰρ ἀναγκαῖα συνεβούλευε καὶ πράττειν, ὡς νομίζοιεν ἄριστ' ἂν πραχθῆναι· περὶ δὲ τῶν ἀδήλων ὅπως ἀποβήσοιτο, μαντευσομένους πέμπειν εἰ ποιητέα.

Legatur : . . . . *περὶ δὲ τῶν ἀδήλων εἰ ποιητέα μαντευσομένους πέμπειν ὅπως ἀποβήσοιτο.*

VIII.

Ibid. I. 1. 20

. . . . . *τὸν ἀσεβὲς μὲν οὐδέν ποτε οὔτ' εἰπόντα οὔτε πράξαντα, τοιαῦτα δὲ καὶ λέγοντα κ. τ. λ.*

Pro *ποτε* requiritur *πώποτε.*

IX.

Ibid. I. 5. 2

διάκονον δὲ καὶ ἀγοραστὴν τοιοῦτον οὐκ ἐθελήσαιμεν ἂν προῖκα λαβεῖν.

Legendum est *κἂν προῖκα.*

X.

Ibid. III. 6. 1

τῶν ἄλλων οἰκείων τε καὶ φίλων οὐδεὶς ἐδύνατο παῦσαι .... Σωκράτης δὲ εὔνους ὢν αὐτῷ κ. τ. λ.

Post *τῶν* excidit *μέν*: *τῶν μὲν ἄλλων οἰκείων κ. τ. λ.*

XI.

Ibid. IV. 2. 6

ἐπεὶ δὲ φανερὸς ἦν ὁ Εὐθύδημος ἤδη μὲν οἷς ὁ Σωκράτης λέγοι προσέχων, ... καὶ νομίζων τῇ σιωπῇ σωφροσύνης δόξαν περιβάλλεσθαι.

Pro *περιβάλλεσθαι* scribendum est *περιβαλεῖσθαι.*

XII.

Ibid. IV. 3. 12

τὸ δὲ καὶ εἰ ἀδυνατοῦμεν τὰ συμφέροντα προνοεῖσθαι ὑπὲρ τῶν μελλόντων, ἡμῖν αὐτοὺς συνέργειν κ. τ. λ.

Pro *εἰ ἀδυνατοῦμεν* requiritur *ἐπεὶ ἀδυνατοῦμεν.*

XIII.

Sen. Herc. Oet. 830 sq.

corporis palla horridi
pars est et *ipsam vestis* immiscet *cutem.*

Legendum est:

corporis palla horridi
pars est, et *ipsa pestis* immiscet cuti.

XIV.

Ibid. vs. 1741 sqq.

immotus, inconcussus, in neutrum latus
correpta *torrens* membra, adhortatur, monet,
gerit aliquid ardens.

Errat Birt, qui (Mus. Rhen. XXXIV. p. 549) *torrens* mutari iubet in *tollens.* Recipienda est Gronovii coniectura *torquens.*

XV.

Troad. 304 sq.

iamne flammatum geris
amore subito pectus ac *veneris novae?*

Scribendum est:

iamne flammatum geris
ardore solito pectus ad *venerem novam*?

XVI.

Vergil. Aen. VI. 349 sqq.

Namque gubernaculum multa vi forte revulsum,
cui datus haerebam custos, cursusque regebam,
praecipitans *traxi mecum.*

Emendandum *traxit secum.*

XVII.

Tac. Ann. XIV. 7

nisi quid Burrus et Seneca expedirent; quos statim acciverat, incertum *an et ante ignaros.*

Cum Ernestio scribendum est *an ante ignaros.*

XVIII.

Ibid. c. 36.

Is ardor verba ducis sequebatur, ita se ad intorquenda pila expedierat vetus miles *et* multa proeliorum experientia *ut* certus eventus Suetonius daret pugnae signum.

Legatur: ..... ita se ad intorquenda pila expedierat vetus miles *ut* multa proeliorum experientia certus eventus Suetonius daret pugnae signum.

XIX.

Tac. Hist. I. 76.

Nusquam fides aut amor: metu ac necessitate huc illuc *mutabantur.*

Legendum *nutabatur.*

XX.

Ibid. I. 85

et privato Othoni nuper atque eadem *dicenti* nota adulatio.

Pro *dicenti* scribendum est *agenti.*

XXI.

Ibid. III. 71.

Neque illis manus nisi gladiis armatae et arcessere tormenta aut missilia [*tela*] longum videbatur.

Verbum *tela* expungatur.

XXII.

Fontibus, ex quibus Tacitus in Historiarum libris conscridendis hausit, et Vipstani Messalae scripta adnumeranda sunt.

XXIII.

Suet. Oct. 17.

Nec multo post navali proelio apud Actium vicit in serum dimicatione protracta, ut in navi victor pernoctarit.

Post *vicit* inserendum est *ita*.

XXIV.

Plin. Ep. III. 7. 13.

Nam ferunt Xerxem, quum immensum exercitum oculis obiisset, inlacrimasse, quod tot militibus tam *brevis* immineret occasus.

Pro *brevis* scribendum est *brevi*.

XXV.

Liv. IV. 53.

Ductus exercitus ad Carventanam arcem, quamquam invisus infestusque consuli erat, impigre primo statim adventu deiectis, qui in praesidio erant, arcem recipit, [praedatores ex praesidio per neglegentiam dilapsi occasionem aperuere ad invadendum.]

Verba uncinis inclusa eicienda sunt.

XXVI.

Nepos, Thras. 1. (Ed. Teubn.)

Itaque iure suo nonnulla ab imperatore miles, plurima vero fortuna vindicat seque *his* plus valuisse [quam ducis prudentiam] vere potest praedicare. Quare illud e. q. s.

Verba inclusa non sunt eicienda, sed pro *his* scribendum est *haec*.
